DE MONACHATU BENEDICTINO D. THOMAE AQUINATIS APUD CASINENSES, ...

Digitized by Google

10.F.6

Digitized by Google

Digitized by Google

10.6.221

Digitized by Google

DE MONACHATU BENEDICTINO D. THOMÆ AQUINATIS APUD CASINENSES,

Antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem ſe transferret,

HISTORICA DISQUISITIO.

Jacobo Hyacinto
Serry Ord. Prædic.
Auctore

LUGDUNI

Apud FRATRES BRUYSET in Vico Mercatorio:

MDCCXXV.

DE LICENTIA SUPERIORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUod D. Thomam Theologorum Principem, Benedictini inſtituti Profeſſorem, antequam ad Dominicanos accederet, oſtendere aggrediar, non ſuperba facit ambitio, qua Monaſticum Ordinem novo illo ornamento illuſtratum velim, ne tanto careat ad celebritatem nominis adjumento. Manet enim alta mente infixum Cardinalis Baronii judicium, in Annalibus, ad annum 494. *Cum innumerorum pene Sanctiſſimorum, atque etiam doctiſſimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit fœcundiſſimus propagator, perperam mea ſententia illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus ſupponunt: qui inquam nimio ejus Ordinis, ſub quo profitentur, amore, nonnullos fama illuſtres viros, ejuſdem fuiſſe Regulæ Profeſſores, imprudenter, & inconſulte nimis affirmant. Etenim non fœcundis, ſed ſterilibus ſupponi*

Digitized by Google

aliena ſoboles ſolet : Nullum itaque in hacce Hiſtorica Diſquiſitione, novi ſyderis Benedictino Cœlo aſſerendi; nullum ſplendoris alicujus, & gloriæ Monaſtico inſtituto adjiciendæ ſtudium imprudens, ſcribentis animum occupavit: ſed una mihi limandæ in diſputatione veritatis cura fuit. Immo ita apud me ſemper ſtatui, ſtatuetque mecum quiſquis rem ipſam ſerio perpenderit; multo plus ſplendoris & gloriæ in Prædicatorum Ordinem rediiſſe; quod relicto Benedictino ad illum ſe tandem tranſtulerit Doctor Angelicus; quàm in Monaſticum Ordinem antea redundaſſet, quod nomen illi dediſſet primùm, ſeque illi junior addixiſſet.

Et verò ſi quod ex fodina accedit auro pretium, ſi qua flumini ex primo fonte celebritas oritur: num quæſo Prædicatorum Ordini glorioſius fuerit, Thomam e Monachiſmo, quàm e ſæculo prodeuntem admittere; omnigenæ ſcientiæ theſaurum ex Saba, quàm ex Ægypto colligere; divinæ ſapientiæ flumen, ex Paradiſo voluptatis, quam ex Babylone in ſuum tandem ſinum excipere? Ad gloriam itaque Prædicatorum Ordinis ſcribo, dum Doctorem Angelicum, antea Monachum probo, quàm ſe illi Vir ſanctus adjungeret: non ad gloriæ, ut maligne

ligne criminantur aliqui, diminutionem, ac depreſſionem. Certe ſi Pontificiæ dignitatis gloriam non imminuunt, qui de Divi Gregorii Magni Monachatu ſcribunt Viri plerique Doctiſſimi, ut illum antea Monachum, quàm Pontificem probent: nec ſacrum Minorum Sodalitium deprimunt, ſed potius illuſtrant, celebrantque, qui ſummum illum Patavii Thaumaturgum, Antonium Luſitanum, Canonicum antea religioſæ vitæ lege adſtrictum teſtantur, & ſcribunt, quàm ad ſuos Franciſcanos accederet: quì quæſo Prædicatorum Ordinis gloriam obſcurare cenſendus ero, ac non potius augere, & illuſtrare; quod Thomam antea Monachum, quàm Prædicatorem ſcripto probandum aggrediar?

Sat bene, mea quidem ſententia, ſat digne fiet, modò quod dono ſcriptum veritate nitatur, ſine qua gloria nulla eſt, ſed laudis vana cupiditas. Hanc ut aſſequerer, eos fontes adii, ex quibus eam haurire certius poſsem: Scriptores intelligo D. Thomæ Synchronos, aut ſaltem ætate proximos, domeſticos non ſecus ac exteros: quorum alii Monachum Caſinenſem aperte diſtinctèque dixerunt: alii pleraque de illo nota nt ac retulerunt, quæ

cæ-

Digitized by Google

cæteris illius ævi juncta monumentis , ritibus , & Canonibus , Monachum certa conſecutione demonſtrant . Horum non ſingula quidem ſeorſim accepta , decretoria ſuppeditant argumenta : (ecquis enim id expectet a me , in re præſertim Hiſtorica ; & a nonnullis de induſtria occultata ?) ſed omnia ſimul , eaque conjunctim ſumpta , mutuoque collata , plenam ut arbitror , firmamque facti quod quæritur probationem efficiunt : Thomam ſcilicet Aquinatem , Monachum apud Caſinenſes aliquot annos egiſse , antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem ſe transferret .

IN-

INDEX CAPITULORUM.

CAPUT I.

COnſilium Auctoris. pag. 1

CAPUT II.

Ritus oblationis puerorum impuberum, ex præſcripto Regulæ D. Benedicti, olim frequentari ſolitus explicatur, ejuſque firmitas aſſeritur, vindicatur. 7

CAPUT III.

Divus Thomas quinquennis, Deo ſub Divi Benedicti Regula oblatus, atque devotus oſtenditur, pro more iis temporibus obtinente. 16

CAPUT IV.

Divus Thomas pubertatem ingreſſus, Divi Benedicti inſtitutum ſolenniter profitetur, annis circiter octo antequam Prædicatorum Ordini nomen daret. 29

CAPUT V.

Divus Thomas Dominicanis recèns adjunctus, ut a novo inſtituto revocetur, Caſinenſis Monaſterii Abbas creatur ab Innocentio IV.

Unde

Unde illum antea Benedictinum inſtitutum expreſſe profeſſum eſſe, certò colligitur. 41

CAPUT VI.

Divum Thomam Benedictini inſtituti Profeſſorem, ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem tranſiiſſe, teſtantur Caſinenſis Monaſterii Tabulæ. 53

CAPUT VII.

Idem Sacchetti Malaſpina, Scriptoris D. Thomæ Synchroni teſtimonio confirmatur. Adduntur ad cumulum nonnulla Monachatus indicia. 61

CAPUT VIII.

Una quæ ſupereſt in oppoſitum difficultas eliditur, ex Scriptorum Dominicanorum ſilentio petita. Breviarii Romani auctoritas eliditur, explicatur. 69

DE

Digitized by Google

DE MONACHATU S. THOMÆ AQUINATIS APUD CASINENSES,

Antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem ſe transferret.

CAPUT I.

Conſilium Auctoris.

I. DIvum Thomam Scholarum Angelum, antequam Dominicano Prædicatorum Ordini nomen daret, Benedictinum Monachorum inſtitutum apud Caſinenſes profeſſum eſſe, ibidemque per annos aliquot Monachum, ſolennibus votis obſtrictum ſubſtitiſſe; iis certe paradoxum videbitur inauditum, qui priſcos vitæ ejus Hiſtoricos leviter tantum, ac defunctorie lectitarunt. Hos enim quiſquis de ſumma, ut ajunt, facie pervolutat, id unum in tranſcurſu deprehendit, ſibique fingit animo: Thomam tenellum adhuc, & puerum, annos quinque natum, Monachis Caſinenſibus, pro more puerorum, ea ætate ac regione nobilium, in diſciplinam duntaxat fuiſſe traditum, piis ſcilicet mori-

bus, primiſque litterarum rudimentis imbuendum; Monaſticæ tamen vitæ jugo nec obſtrictum tunc, nec poſtmodum obſtringendum: immo grandiuſculum factum nobiliſſimum ephebum, annoſque ut ſummè vitæ novem aut decem numerantem, & de cucullo induendo ne cogitantem quidem, piorum Monachorum curæ, atque educationi ſuiſſe ſubductum, & ad Neapolitanam Academiam a parentibus miſſum, altioribus in ſæculo ſtudiis informandum; donec ille ex ephebis egreſſus, relicto ſæculo, ſurgenti tunc Prædicatorum Ordini nomen dederit. Sic ſanè communiter creditur, ſic vulgo jactatur.

Verùm qui ſacros vitæ ejus Hiſtoricos, ſecretioraque illius ævi monumenta diligenter evolverint; qui mores ea ætate receptos, ſacramque Monaſtici inſtituti diſciplinam ſervari tunc ſolitam attente perpenderint; rem totam longe aliter geſtam deprehendent; & de D. Thomæ initiis, de pueritia, de pubertate, de prima ejus apud Monachos Caſinenſes inſtitutione, de peractis Neapoli ſtudiis, deque ejus ad Dominicanos Prædicatores acceſſu, multo aliter pronunciabunt: Illud nempe, quod hic demonſtrandum aggredior.

Primò Thomam Aquinatem, anno ætatis ſuæ quinto, ad Cœnobium Caſinenſe a parentibus miſſum eſſe, non piis duntaxat moribus, primiſque litterarum rudimentis, inter

ter alios nobiles pueros informandum; ſed Deo ſub D. Benedicti Monaſtica diſciplina oblatum, ac velut in Monachum conſecratum, pro jure patriæ poteſtatis; ut jam tunc religioſo inſtituto adſtrictus nunquam redire poſſet ad ſæculum; ſed potius adultam tandem ætatem adeptus, oblationem de ſe a parentibus factam, ratam haberet, vitamque Monaſticam ibidem expreſſe, ſolenniterque profiteretur: quod & ille pubertatem tandem ingreſſus, pro illius ævi more, & ex ſacris Eccleſiæ legibus executioni demandarit. Eo plane modo, quo D. Placidus, Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus, Hildebrandus in Sede Pontificia Gregorius Septimus nuncupatus, ſeptennes Deo ſub D. Benedicti regula a parentibus ſuis oblati; D. Maurus duodennis; Godefridus, Petrus Diaconus, Venerabilis Beda, & Othlonus quinquennes; aliique bene multi a prima pueritia, Monaſtico inſtituto, ex parentum voto adſtricti, & obligati, ut nec inde redire ad ſæculum poſſent; puberes tandem facti, egreſſique ex ephebis, ſacra vota, quibus olim ex patria poteſtate damnati fuerant, ſolenniter exſolverunt.

Alterum quod hic demonſtrare inſtituo, etſi ex illo primo ſponte jam fluit, iſtud eſt: Thomam Aquinatem, non anno, ut fingitur, vitæ nono, vel decimo, e Monachorum Caſinenſium cura, & educatione revocatum, ad Scholam Neapolitanam auditorem ſæcula-

ſem; & laicum a parentibus miſſum eſſe; unde ille ſui poſtmodum juris factus, relicto ſæculo, ad Dominicanos acceſſerit; ſed contra potius annos circiter quindecim natum, emiſſâque profeſſione, veri jam nominis Monachum, Abbatis ſui juſſu atque mandato, Neapolim contendiſſe, altioribus ibi ſtudiis, ſub ſuorum tamen Monachorum diſclipina perpoliendum: unde ille nonniſi poſt annos circiter octo, victus cultuſque aſperioris, arctioriſque paupertatis ſtudio ſuccenſus, ad ſurgentem Prædicatorum Ordinem ſe tranſtulerit; non relicto tunc primùm ſæculo, cui diu antea cucullum induens vale dixerat, ſed nova religioſæ vitæ ratione ſuſcepta.

II. Quæ duo ubi ſemel oſtendero, nemo adeo erit iniquus, ut aliquid Prædicatorum Ordinis gloriæ detractum exiſtimet, quod unus ſodalem ſibi Doctorem Angelicum non habuerit; ſed cœleſtem illum divinæ ſapientiæ theſaurum, cum Caſinenſibus Monachis partiatur. Nec enim eſt illa cœleſtium munerum ratio, ut partitione minuantur; minuſve gratiæ, & gloriæ unus referat, quod in ejus partem venerit alter. Immo erit vel eo nomine Prædicatorum Ordinis gloria longe major, quòd eum Theologiæ Solem aſſiduo meridie radiantem, unus continenter habuerit, quem vix exorientem, multâque adhuc caligine merſum, velut in tranſcurſu Caſinenſes habuerant. Iniquior longe multò, qui imminutum Doctoris Angelici

gelici

gelici decus dixerit, ſi Monachus antea fuiſſe probetur, quàm Prædicator: Unde potius novus illi oritur gloriæ titulus, qui tam multis ejuſdem ſodalibus cœlo adſcriptis, ipſique Parenti Dominico acceſſit; qui perinde ex priſcis aliis religioſis agminibus, ad recentem Prædicatorum Ordinem, ſpiritu Dei acti atque ſuccenſi convolarunt.

Horum ergo nihil veriti, quod agere inſtituimus aggrediamur, ſubjecta primò Lectorum oculis, ætatis D. Thomæ Chronographia, ad quam tota iſta hiſtorica Diſquiſitio exigatur.

Anno 1220. Die 16. Aprilis, naſcitur D. Thomas in Caſtro *Rocca-ſicca*, Patre Landulpho Comite Aquinate, Matre Theodora, Theatis Comitis filia.

Anno 1225. ætatis 5. Ad Caſinenſe Monaſterium mittitur a parentibus, oblatus Deo, atque dicatus, ſub regula D. Benedicti.

Anno 1235. ætatis 15. Monaſticam ibidem profeſſionem emittit, ac tum ad altiora ſtudia Neapolim ab Abbate mittitur, ſub Benedictinorum Magiſtrorum diſciplina.

Anno 1239. ætatis 19. Caſinenſi Monaſterio a Frederico Secundo Imperatore expilato, & in munitionem converſo, cum cæteris Monachis ejicitur.

Digitized by Google

Anno 1243. ætatis 23. Relictis Benedictinis, ad Dominicanos Prædicatores accedit, parentibus repugnantibus, ac filium repetentibus.

Anno 1244. ætatis 24. Poſtquam per menſes circiter quindecim, in carcere caſtri paterni detentus fuiſſet, ſolvitur, mittiturque Pariſios.

Anno 1245. ineunte ætatis 25. In Italiam ab Innocentio Quarto revocatur; utque honoris ſpecie ſuis reſtituatur Benedictinis, Caſinenſis Abbas creatur: quam ille dignitatem modeſte recuſans Coloniam pergit, Alberti Magni auditor factus.

Anno 1256. ætatis 36. Doctor Theologus in Pariſienſi Academia renunciatur, commendante Alexandro Quarto Pontifice Maximo.

Anno 1274. ætatis 54. Moritur in Monaſterio Foſſæ-novæ Ordinis Ciſtercienſis, cum illô hoſpitii cauſa divertiſſet, in Gallias ad Concilium Lugdunenſe iter faciens.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Ritus oblationis puerorum impuberum, ex præſcripto Regulæ D. Benedicti, olim frequentari ſolitus explicatur; ejuſque firmitas aſſeritur, vindicatur.

I. Ritum ſuperioribus ſæculis frequenti uſu receptum ſcire primùm omnium oportet; quem qui de priſca vitæ Monaſticæ diſciplina, ex noſtrorum temporum moribus ſtatuunt, vix ſatis intelligunt; quanquam eſt ille certiſſimus, ac prorſus indubitatus. Nempè pueros adhuc impuberes atque tenellos, Deo Opt. M. ſub D. Benedicti regula offerri a parentibus, vitæque Monaſticæ devoveri conſueviſſe, pro jure ſcilicet patriæ poteſtatis: idque præſertim illuſtres, nobiles, ac principes viros, religionis, & voti cauſa factitaſſe.

Hujus puerorum impuberum oblationis, ac dedicationis exempla ſunt omnibus nota, quæ ſupra tetigimus; Venerabilis Bedæ, Othloni, D. Placidi, D. Mauri, Bonifacii Moguntini, Hildebrandi, qui & Gregorius in Romana Sede Septimus fuit. Extant & alia minus fortaſſe nota, ſed obſervatione digniora, nec minus certa: ut Elfledæ Oſuvi Anglorum Regis filiæ, ætate duntaxat anniculæ, de qua Beda ipſe lib. 3. Hiſtoriæ gentis An-

glorum cap. 24. ſic ſcribit: *Vovit ejus Pater, ſi victor exiſteret, filiam ſuam Domino ſacra virginitate dicandam offerre ..... Tum pro collata victoria gratias referens, dedit filiam ſuam Elfledam, quæ vix dum unius anni ætatem impleverat, perpetua virginitate conſecrandam .... Intravit illa Deo dicanda Monaſterium &c.* Geraldi itidem pueruli, quem pii parentes Ademarus, & Garſindis, Deo ſub D. Benedicti regula, ea conditione obtulerunt, & devoverunt, ut ſi ante viriles annos moreretur, *pro hac ipſa donatione alius filius loco illius ſubrogaretur, & ſic unus ſuccederet alteri; donec aliquis Miſſam cantaret ex his, ſub Monachali habitu jam dicto loco ſerviens*: ut fertur in ipſo donationis inſtrumento, apud Joannem Mabillonium Tom.3. Veterum Analectorum pag. 470. ex quibus ſat bene dignoſcitur, quæ & quanta ſuperioribus ſæculis fuerit patria poteſtas, in pueris Deo ſub Monaſtica regula devovendis, & conſecrandis.

II. De ea puerorum impuberum oblatione, illiuſque ritu ita D. Benedictus in regula cap. 59. *Si quis forte de Nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem: & cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involvant in palla Altaris, & ſic eum offerant &c.*

Diſtinctius verò Lanfrancus, cadente ſæculo undecimo, in Decretis pro Ordine S. Bene-

,, nediƈti: [Offerendus puer, faƈta ſibi prius ,, corona, manibus portans hoſtiam cum vi- ,, no, ſicut mos eſt, poſt Evangelium, Sa- ,, cerdoti qui Miſſam celebrat, a parentibus ,, offeratur. Qua oblatione a Sacerdote ſuſce- ,, pta, involvant prædiƈti parentes manum ,, pueri in palla, qua Altare coopertum eſt, ,, & cujus pars anterius pendet, & tunc ſuſci- ,, piat eum Abbas; Quo faƈto præfati paren- ,, tes, coram Deo, & Sanƈtis ejus ſtatim ,, promittant, quod per ſe, aut a ſe ſuppoſitam ,, perſonam, ſuſceptum ordinem puer nun- ,, quam relinquat; neque ſe ei ſcienter ali- ,, quid daturos, unde puer, quod abſit, pe- ,, rire poſſit. Hanc promiſſionem prius ſcri- ,, ptam, coram teſtibus, verbis ibi prius edi- ,, cant, & poſtea ſuper altare ponant. His ,, expletis, benedicat Abbas cucullam, & ,, exuens puerum cappa, vel pellibus, vel ali- ,, qua hujuſmodi clamyde dicat, exuat te ,, Dominus veterem hominem, ut ſupra: & ,, induens eum cuculla ſubjungat: induat te ,, Dominus novum hominem. Deinc duca- ,, tur ad radendum, & veſtiendum, ſicut no- ,, ſtri Ordinis conſuetudo eſt. Cum vero adul- ,, ta ætate faƈturus profeſſionem fuerit, fiant ,, ei cætera, quæ ſuperius debere fieri Con- ,, verſo jam diximus. Hoc enim quod mo- ,, do faƈtum eſt iterari non oportet.]

Hujus porro oblationis formula his verbis expreſſa erat, condito ex juris regulis in- ſtru-

„ſtrumento: [Ego N. Princeps, vel Co-
„mes, in Dei Omnipotentis nomine, hunc
„filium meum N. coram Domino N. Abba-
„te, & cuncta Congregatione hujus Sancti
„loci, trado in hoc Monaſterio S. Confeſſo-
„ris Chriſti Benedicti, cujus corpus hìc con-
„tinetur, coram teſtibus, cum oblatione,
„atque petitione, in hoc Sancto Cœnobio
„regulariter permanſurum, & cum cæteris
„gratanti animo militaturum: ita ut ab hac
„die non liceat illi collum excutere de ſub
„jugo regulæ, ſed magis ſtudeat ejus inſti-
„tuta ſervare. Et ut hæc mea traditio incon-
„cuſſa permaneat, promitto ſub juramento
„coram Deo, & Sanctis ejus, nunquam per
„me, numquam per ſuffectam perſonam,
„nec quolibet alio modo, facultatem exeun-
„di de hoc Monaſterio me illi tribuere. Ad
„firmamentum hujus meæ petitionis, manu
„propria eam ſubterfirmavi, & idoneis te-
„ſtibus affirmare curavi. Ego N. ſubſcripſi.
„Subſcribunt & teſtes N. N.]

III. Cæterum ex ea promiſſione a Parentibus fieri ſolita, de ſuſcepto vitæ Monaſticæ inſtituto nunquam per puerum relinquendo, illud quoque liquet aperte: Pueros ſic oblatos, ad exſolvendum Parentum votum, fuiſſe tunc temporis adſtrictos, & obligatos, nec Monaſticæ profeſſionis jugum excutere potuiſſe, ubi ætatem adultam attigiſſent; ſed expreſſam tunc profeſſionem emittere de-

buiſſe,

Digitized by Google

buiſſe. Quod quia in cauſa quam hic agimus, ubi ad D. Thomam veniemus, capitale erit; aliis nobis eſt, iiſque gravioribus momentis, ac tabulis confirmandum; Adverſus captioſos nonnullos Litigatores, quibus cùm dura nimis videatur inducta pueris illis, ante qualemcumque rationis uſum, ex ſolo Parentum nutu, Monaſtici inſtituti profitendi neceſſitas; factum idcirco primis illis temporibus negant, quod putant ſummo jure fieri non debuiſſe. At nos hic factum unicè quærimus, nihil de jure diſputaturi.

Extat igitur ea de re diſertiſſimum Gregorii II. reſcriptum, Bonifacio Maguntino Epiſcopo datum, de pueris illis anxie ſciſcitanti, num iis, ex quo pubertatis annos attigiſſent, e Monaſterio liceret egredi, & Matrimonio copulari: cui ille in hæc verba reſpondit: *Si Pater, vel Mater filium, filiamve, intra ſepta Monaſterii in infantiæ annis, ſub regulari tradiderit diſciplina, non liceat eis, poſtquam ad annos pubertatis pervenerint, egredi, & matrimonio copulari. Hoc ergo omnibus devitandum eſt: quia nefas eſt, ut oblatis Deo a Parentibus filiis voluptatis fræna laxentur. Igitur ut prædiximus, non liceat eis ſuſceptum habitum unquam dimittere: ſed convicti quod tonſuram Monachalem, aut religioſam veſtem aliquando habuerint, in Religionis cultu, habituque, velint nolint, permanere cogantur.*

Quod idem iiſdem omnino verbis ſanxere ſe-

Digitized by Google

re ſequenti ſæculo Vvormatienſis Concilii Patres, Canone 22. habeturque apud Gratianum in Decreto cauſa 20. quæſt. 1.

Concilium Toletanum quartum Can. 48. (nonnulli 47. numerant) Monachos perinde fieri decernit, & Parentum oblatione, & propria profeſſione; & utroſque ex æquo Monaſticæ regulæ adſtrictos pronunciat. *Monachum*, inquit, *aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus regreſſus*. Quam etiam Hiſpanorum Patrum ſanctionem, Germani fecere ſuam, laudata in Synodo Vvormatienſi Can. 23.

Addunt Hiſpani Patres eadem in Synodo Toletana Can. 55. *Non aliter & hi qui detonſi a Parentibus fuerunt, aut ſponte ſua amiſſis Parentibus, ſe ipſos Religioni devoverunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt: hi a Sacerdote comprehenſi, ad cultum Religionis, acta prius pœnitentia, revocentur*. Nempe ut cernis, oblatos à Parentibus pueros (quos Monachali tonſura dedicatos vidimus) æqua pœna plectendos ſtatuunt, ac cæteros ſponte ſua Religioni devotos, ſi forte cucullum abjecerint; & ad vitæ Monaſticæ cultum pariter revocandos. Quam ſubinde legem in Concilio Toletano decimo inſtaurarunt Can. 6. ita decernentes: *Si in qualibet minori ætate*,

te,

te, vel religionis tonſuram, vel religionis debitam veſtem, in utroque ſexu filiis, aut unus, aut ambo Parentes dederint ...... ad ſæcularem reverti habitum, ipſis filiis quandoque, penitus non licebit. Sed convicti quod tonſuram, aut religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumque revocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione hujuſcemodi obſervantæ inſervire cogantur.

Conventus Aquiſgranenſis Abbatum Franciæ anno 817. celebratus, ad Monaſticæ vitæ inſtaurationem, cap. 36. ſtatuit *ut puerum Pater, ac Mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram teſtibus faciant, quam tempore intelligibili ipſe puer confirmet.* Quod cùm ſtatuentis atque mandantis voce ſit dictum, non id ſonat unice, quod nonnulli perperam arbitrantur, valituram ſcilicet Parentum oblationem, ſi hanc puer plenum intelligentiæ uſum aſſecutus, libenter confirmare voluerit: ſed oblationem, facta debito tempore profeſſione, confirmari, ratamque haberi omnino jubet: ut eleganter Mabillonius exponit Tom. 3. Veterum Analectorum pag. 475. *Confirmationem illam ſeu profeſſionem, non ita ex puerorum arbitrio pependiſſe,* inquiens, *ut integrum eis eſſet a voto Parentum reſilire; ſed ex ejus profeſſionis genere fuiſſe potius, quæ apud recentiores Monachos, profeſſionis ac votorum renovatio appellatur.*

Ac-

Digitized by Google

Accedit D. Iſidori Hiſpalenſis ſuffragium, in regula Monachorum ſcribentis: *Quicumque a Parentibus propriis in Monaſterio fuerit delegatus, noverit ſe ibi perpetuò permanſurum*. Qui locus etiam extat in excerptis Egberti Eboracenſis Epiſcopi num. 92.

Calculum demum adjicit D. Bernardus epiſt. 1. ad Robertum nepotem ſuum: Quem cum olim adhuc infantulum, pii Parentes Deo in Cluniacenſi Monaſterio, ſub D. Benedicti regula obtuliſſent, a ſolenni tamen vitæ Monaſticæ ibidem ducendæ obligatione ſolutum idcirco probat; quod illius oblatio, juxta præſcriptos in regula Benedictina ritus, facta non fuiſſet. *Nec enim*, inquit, *petitiò quam regula præcipit, pro eo facta fuit a Parentibus, nec manus illius cum ipſa petitione involuta in palla altaris, ut ſic offerretur coram teſtibus*. Quo judicio ſatis oſtendit Sanctiſſimus Abbas, tunc certe puerorum oblationem, tenendæ Monaſticæ vitæ obligationem induxiſſe, dum ex præſcripta formula, & coram teſtibus ſolenniter facta erat, juxta receptam ætate illa diſciplinam.

Et hæc verò celebriorum Regulæ Benedictinæ Commentatorum certa mens eſt, firmaque ſententia. Quos inter Edmundus Martenins è Congregatione D. Mauri Presbyter Monachus, in Commentariis ad cap. 59. recitatis Regulæ vèrbis, ita ſubdit p. 788. *Porro ex hoc Regulæ loco, rectè omninò concludit noſter*

ſter Menardus, *oblatos hoc modo in Monaſteriis Infantes*, *ita Monachatui fuiſſe adſtrictos*, *ut reſilire*, *& ad ſæculum redire poſtmodum*, *etiam cum ad pubertatis annos pervenissent*, *eis integrum non foret*. Quod cum ille multis probaſſet Argumentis, ità concludit: *Quæ hactenus a nobis dicta ſunt*, *adeo clara ſunt*, *& perſpicua*, *ut vel Cæcus ea digito tangat; omnique oporteat rationis lumine deſtitui*, *qui hæc non adverterit*: Oblatos ſcilicet a Parentibus Pueros, non poſſe cum ad adultam ætatem venerint, reſilire, & ad ſæculum regredi: *Adeo ut mirum ſit*, *aut potius ſtupendum*, *quoſdam per multiplices alienarum*, *violentarumque gloſſarum invectiones*, *in oppoſitum ſenſum illa detorquere; qui tamen nullo ſive rationis*, *ſive auctoritis fundamento*, *ſuam ſententiam ſtabilire poſſunt*. Quibus paria habet Joannes Mabillonius Benedictini Ordinis ſummum decus, diſciplinæque domeſticæ intelligitiſſimus, Tom. 3. Veterum Analectorum, ubi hoc idem pertractat Argumentum.

Sed jam ad D. Thomam Aquinatem, cujus gratia iſthæc omnia præmittere neceſſe fuit, accedamus.

CA-

CAPUT III.

D. Thomas quinquennis Deo ſub D. Benedicti regula, a Parentibus oblatus, atque devotus oſtenditur, pro more iis etiam temporibus obtinente.

I. QUid nunc ſi Thomam oſtendero ex tenellis illis, de quibus diximus hactenus, pueris unum, qui Deo ſub D. Benedicti regula, a prima pueritia vovebantur, ac dicabantur? An non Benedictino inſtituto jam tum addictus, ac plane obſtrictus habendus erit, ut non ultra redire poſſet ad ſæculum? Ita porro res habet: ita inquam, qui prima ejus vitæ geſta poſteris reliquerunt, diſertiſſimè conteſtantur: quorum verba miror non ſatis a recentioribus ponderari, ut rem per ſeſe patentiſſimam deprehendant.

Guillelmus de Thoco, coævus Aquinati noſtro Scriptor, ejuſque Sodalis, cap. 1. Vitæ ab illo deſcriptæ, rei fidem locupletiſſimam facit. Landulphus, inquit, Comes Aquinas, & Theodora Theatis Comitis filia Parentes ejus, *puerum ſic enutritum libenter* Deo Offerunt, *& quinquennem ad Monaſterium Caſini per Nutricem, cum bona ſocietate tranſmittunt, in quo inſtrueretur ſanctis moribus, divinis illuſtrationibus præparandus*. En tibi oblatum Deo pue-

puerum Thomam, & quidem quinquennem adhuc, atque tenellum.

Non longo ſequitur intervallo Ptolomæus Lucenſis, Epiſcopus Torcellanus, quippe qui D. Thomæ, tum Romæ, tum Neapoli diſcipulus fuiſſe dicitur, Libr. 22. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ manuſcripta extat in Bibliotheca Vaticana, quamque ſæpiſſime laudat Odericus Raynaldus in Annalibus, cap. 19. *Hic Thomas in ſua pueritia*, inquit, *nutritus fuit in Abbatia Montis Caſini, qui ſunt Monachi nigri; & ſecundum morem Nobilium illius patriæ, ut patet de beatis Mauro, & Placido.* En tibi rurſus nutritum in Caſinenſi Monaſterio Thomam puerum, in eum ſane modum, quo nobiles pueri Maurus, & Placidus; quos nemo negat, ſub Monaſtica Divi Benedicti diſciplina, Deo dicatos atque devotos, primam illic ætatem exigiſſe, ut habetur Libr. 2. Dialogorum, D. Gregorio Magno adſcriptorum cap. 3.

Suffragatur S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, tertia parte Chronici, titulo 23. cap. 7. §. 1. *Completo*, inquit, *ætatis ſuæ quinquennio, Parentes ejus* Puerum Deo offerunt; *& cum decenti comitatu, tanquam alterum Samuelem ad Heli, ad Monaſterium Montis Caſini, ex Ordine S. Benedicti mittunt, moribus, & litteris imbuendum: ne tam præclarum vitæ ſpeculum converſatio ſæcularis aliqualiter inficeret cum mundanis.* En tibi pariter ad Caſi-

nenſe Monaſterium, miſsum Thomam; non ſæculo, mundoque relictum, ſed *oblatum Deo*, perinde ac Samuelem, quem pia mater necdum conceptum Deo voverat, atque addixerat: ut legitur Lib. 1. Regum cap. 1. v. 11. *Votum vovit Anna dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederis ſervæ tuæ ſexum virilem; dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus.*

Iſtudne eſt, per Numinum fidem! quod paſſim a recentioribus Scriptoribus jactatur, atque obtenditur? Thomam infantulum, ſæcularem tamen, ac ſæculo a nobiliſſimis parentibus deſtinatum, ad externas duntaxat Caſinenſis Monaſterii ſcholas fuiſſe miſſum; ut ingenii cultum duntaxat caperet, moreſque Chriſtianos nobiliſſimo ephebo congruentes, ſub tantis inſtitutoribus diſceret?

Immo ſi Thomam puerum, inſtar Samuelis, inſtar Mauri, & Placidi, Deo oblatum, atque addictum tacuiſſent laudati Scriptores, (quod tamen dixere diſertiſſime) eumdemque ad Caſinenſis Monaſterii ſcholas miſſum ſimpliciter aſſeruiſsent; æquo perinde jure colligeremus, Thomam quinquennem, ex puerorum Deo ſub D. Benedicti Regula oblatorum numero fuiſſe: cum nullæ niſi pro oblatis Deo pueris (quorum illic copia erat) ſcholæ eſſent: juxta Conventus Aquiſgranenſis decretum

cretum numero 45. *Ut ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui oblati ſunt.* Unde & B. Petrus Damiani epiſt. 17. lib. 2. quæ eſt ad Deſiderium Abbatem, & Cardinalem, eidem gratulatur, quod Caſinum cum veniſſet, ſcholas ibi puerorum non inveniſſet, utique externorum & ſæcularium: *Inter cæteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno; cui benedixit Dominus, reperi, fateor hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi ſcholas puerorum, qui ſæpe rigorem ſanctitatis enervant, non inveni.*

Nec quemquam fore arbitror, qui Thomam vere, proprieque Deo oblatum a Parentibus neget, quod per alios ad Caſinenſe Monaſterium miſſus ab iis fuerit. Quaſi vero legatione quoque fieri oblatio non poſſet: cum & Othlonum perinde quinquennem, a Parente miſſa legatione, oblatum Deo legamus, in Vita S. Bonifacii cap. 2. *Ab ægrotante patre per legatos idoneos ad Monaſterium directus eſt.*

II. Hæc ſi minus aperta, minuſque clara videntur, tenebras depellet omnes Bartholomæus de Capua, Logotheta, & Protonotarius Regni Siciliæ, teſtis acceptus omni exceptione major, in proceſſu Canonizationis S. Thomæ; quem apud Bollandum in Actis Sanctorum legere eſt, ad diem ſeptimam Martii, cap. 9. num. 76. ubi hoc ipſum inter cætera D. Thomæ geſta, interpoſito etiam ſacramento conteſtatur: *Pater origine nobilis atque*

potens MONACHAVIT *dictum fratrem Thomam*, *diſponens eum Abbatiæ præficere Caſinenſi*. Quid hoc autem eſt *Monachavit*, niſi Monachum fecit? Eo plane ritu, dedicatione, & oblatione, qua & Maurus, & Placidus, & cæteri de quibus diximus hactenus, ſacrati Deo pueri, *facti Monachi*, & *Monachati* leguntur, in priſcis illius ævi monumentis: ut Lib. 2. Dialogorum D. Gregorio Magno adſcriptorum cap. 7. *Placidus puer Monachus, ad hauriendam de lacu aquam egreſſus eſt*. Cap. 11. *Malignus Spiritus parietem, qui ædificabatur evertit, atque unum puerulum Monachum, cuiuſdam curialis filium opprimens ruina contrivit*. Cap. 24. *Dum quidam puerulus Monachus, parentes ſuos ultra quàm deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, ſine benedictione de Monaſterio exiiſſet, eadem die mox ut apud eos pervenit, defunctus eſt*. Et lib. 2. Epiſt. B. Petri Damiani, Epiſt. 17. ad Deſiderium Abbatem, *Puerulus quidam ætate quinquennis, Humberti ſcilicet Nobiliſſimi viri, qui mecum degit in Eremo filius, in meo Monaſterio factus eſt Monachus*. Nempe pueruli illi, pro illius ævi more, Monachi fiebant, & dicebantur. *Monachi*, inquam, *quos paterna devotio faciebat*; uti laudati ſuperiori capite loquuntur Canones Toletani, & Vvormatienſes, ac ipſe etiam Clemens Tertius Cap. *Cum virum*, de Regularibus, Lib. 3. Decretalium.

Quid

Quid etiam illud alterum, *diſponens eum Abbatiæ præficere Caſinenſi?* niſi eo ritu Monachatum fuiſſe jam tunc puerulum Thomam, & Monaſticæ vitæ addictum, unde illi ad Caſinenſem Abbatiam, aliquando pro meritis obtinendam, aditus fieret? Quod certe de puero ſæculari, ad externas duntaxat Monaſterii ſcholas, ad honeſtam ibi atque civilem educationem capiendam, ſimpliciter miſſo, nemo dixerit prudens; ſed de puero ſecundum illius ævi mores oblato, detonſo, & cucullato; jamque Regulæ Monachali adſtricto debet intelligi; aliàs enim nullus illi ad Abbatiam aditus fuiſſet.

Et quidem, ut novum inde probationis momentum petam: Res eſt omnino certa, omniumque qui de D. Thomæ ortu, primaque infantia ſcripſere teſtimonio confirmata: nihil magis Parentes ejus, cum primum eſt ortus, in animo habuiſſe, nil magis in votis; quàm ut illum D. Benedicti inſtituto illigarent: idque non tam pietatis religioniſque ſtudio, (nec enim diſſimulant Scriptores) quàm nimio Abbatiæ Caſinenſis per filium obtinendæ, redituumque illius ampliſſimorum colligendorum deſiderio. Hinc illud Eremitæ cujuſdam pietate, & ſanctitate illuſtris, cui nomen *Bono*, vaticinium, Theodoræ Comitiſſæ proxime pariture denunciatum, nemo non retulit: *Paries filium, quem vocabis Thomam: & tu, &*

vir tuus cogitabitis eum facere Monachum in Monaſterio Montis Caſini, in quo corpus B. Benedicti quieſcit: habentes ſpem ad magnos ipſius Monaſterii reditus pervenire, per illius filii veſtri apicem, & Prælaturam; ſed Deus de illo aliter ordinabit, quia erit Frater Ordinis Prædicatorum, tantæ claritatis in ſcientia, & ſanctitatis in vita, quod in Mundo ſibi ſimilis ſuo tempore non poterit inveniri. Quis ergo non videat, Parentes ſic affectos, & ad ampliſſimos Abbatiæ reditus inhiantes, id egiſſe re ipſa, quod in proceſſu Canonizationis teſtatus eſt Regni Siciliæ Protonotarius, *Thomam puerum Monachaſſe*? Non aliter enim filii ſui in ſuſcepto Monaſtico inſtituto firmitatem, ſtabilitatem, atque conſtantiam ſibi poterant adpromittere, qua ſola poſſet ad optatam Prælaturam pervenire.

III. Non me fugit, Natalem Alexandrum, alioſque nonnullos, ut ab iis ſe ſe expediant argumentis, repoſuiſſe, non ita pridem, eum puerorum Deo ſub Monaſtica regula vovendorum ritum, paulo ante D. Thomæ ortum exoleviſſe: Quod clariſſimi viri Joannis Mabillonii ſuffragio confirmare nituntur, tom. 3. Veterum Analectorum pag. 477. ſcribentis: *Sæculo duodecimo in deſuetudinem penitus abire cœpit hæc puerorum oblatio: ejuſque obligatio ſublata eſt decreto Clementis Papæ III. Cap.* Cum ſimus; *ac tandem Concilii Tridentini Decreto penitus abrogata.*

Ve-

Verùm ii præterquamquod laudatos paulo ante Scriptores ac teſtes, mendaces faciunt, tam diſtinſte affirmantes, Thomam quinquennem Deo a Parentibus fuiſſe dicatum, oblatumque, ac etiam *Monachatum*: Mabillonii, quem citant temere, ſenſum (detur mihi venia ſi dixero) minus capiunt. Duo ergo in priſco illo ritu ſecernenda veniunt; oblatio ſcilicet ipſa puerorum, Deo ex voto Parentum fieri ſolita; tum obligatio pueris ipſis impoſita, in ſuſcepto Monaſticæ vitæ inſtituto remanendi, votaque ſolennia, dum ad ætatem adultam venirent, expreſſe atque ex publica formula nuncupandi. Secundum hoc penitus ſuſtulit Clemens III. Cap. *Cum ſimus*, de Regularibus; pueriſque licentiam fecit, ut cum pubertatem attingerent, abjecto cucullo, redire ad ſæculum poſſent, patrimonium repetere, ac etiam matrimonio jungi: *Auribus noſtris eſt relatum, quod cum B...... miles ſe cum filio ſuo, diſcretionis annos nullatenus attingente, ad quoddam Monaſterium cum bonis ſuis etiam contuliſſet, dictum filium ſuum fecit habitum ſuſcipere Monachalem &c.... Diſcretioni tuæ reſpondemus, quod ſi dictus puer ad annos diſcretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem; ſi ad hoc induci nequiverit, non eſt ullatenus compellendus: quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt, poſtulare.* Primum vero, quod hic maxime quæritur, votiva nimirum

Digitized by Google

mirum puerorum oblatio, & dedicatio, ita quidem cœpit in deſuetudinem abire duodecimo cadente ſæculo, ac tertio decimo ineunte, ut non adeo tunc quemadmodum antea frequens eſſet; non ſic tamen, ut nulla plane tunc temporis fieret. Quandoquidem earum oblationum exempla nonnulla (præter illud, de quo nunc quæritur, D. Thomæ) nobis occurrunt ſæculo tertio decimo: immo & varia de hujuſmodi puerorum oblationibus, quæ tunc etiam fierent, ſtatuta decretaque leguntur. Sic Guillelmus Montis-Peſſulani dominus Guidonem filium minorennem, condito teſtamento, Deo ſacraſſe, vitæque Monaſticæ devoviſſe, & addixiſſe legitur, in Spicilegio Dacheriano. Sic etiam Innocentius III. Romanus Pontifex Epiſt. 116. lib. 15. ad Lugdunenſem Epiſcopum data præſcribit, quo ſint ordine, rituque ab Abbatibus interrogandi, *minoris ætatis filii, qui oblati Monaſterio fuerint ſuſcipientes habitum, & tonſuram Monachalem*. Mirorque Natalem Alexandtum, virum aliàs nunquam mihi ſine laudis præfatione nominandum, qui eo ſubleſto reſponſo prægave illud momentum noſtrum eludere ſibi viſus eſt, uſque adeo ſui ipſius fuiſſe immemorem, ut illud ſibi elabi paſſus ſit, quod Hiſtoriæ ſuæ ſæculo tertio decimo cap. 7. art. 5. de Monachis, & Sanctimonialibus adnotarit n. 22. *Parentes*, ſæculo illo, *filios ſuos minorennes vitæ Monaſticæ quandoque devoviſſe*: Quod productis memo-

moratis exemplis aſſeruit, & pro viribus confirmavit.

Quanquam quid juvat ea de re contentionis funem ducere; cùm ipſum etiam Doctorem Angelicum, cujus hic agitur cauſa, teſtem locupletiſſimum habeamus, eas puerorum oblationes ſua etiam ætate in uſu fuiſſe, diſertiſſime pronunciantem. Ille quippe Opuſculo 17. adverſus Guillelmum a ſancto amore, alioſque nonuullos Pariſienſis ſcholæ Magiſtros, qui pueros maxime retrahebant a Religionis ingreſſu, hunc ipſum oblationis ritum, ſua adhuc ætate in Eccleſia Catholica frequentatum oſtendit; cujus robur, auctoritatemque ſuis objicit adverſariis. *Quod Parentes pueros ſuos in annis minoribus conſtitutos offerant Deo in Religione nutriendos, ſub conſiliorum obſervantia, Eccleſiæ conſuetudo habet, quæ maximum habet auctoritatis pondus, & multipliciter ſcripturarum auctoritatibus confirmatur ..... Hæc autem conſuetudo pueros religioni tradendi, non ſolum Eccleſiaſticis ſtatutis quampluribus, ſed etiam ſanctorum exemplis comprobatur ...... Hic etiam mos ab Apoſtolis ſumpſiſſe invenitur exordium &c.* Quæ omnia de vigente tunc etiam pio more, præſentique Eccleſiæ conſuetudine, ab Angelico Doctore dicta eſse, nemo non videt: quandoquidem ſi vel tunc antiquatus ille mos fuiſset, gravius ex ejus abolitione momentum, in D. Thomam petiiſſet Guillelmus, quàm ex priſca ejus obſer-

vantia, in Guillelmum petierat D. Thomas.

IV. Sed neque feliciori conjectura ducitur Jacobus Echardus, ut Thomam puerum neget in Monte Caſino Monachum induiſse: quod illum decennem circiter, Neapolim ad altiora ſtudia miſsum referat Guillelmus de Thoco, cæterique illius vitæ ſcriptores: *Abbas autem prædicti Monaſterii providus, cum animadverteret in puero tam certa, & matura futuræ perfectionis indicia, advocato Domino Landulpho Patre prædicti pueri, provide ei conſuluit, ut puer mitteretur Neapolin ad ſtudendum: unde puer de utriuſque parentis conſilio Neapolim mittitur; & ſub Magiſtri Martini in Grammaticalibus, & Logicalibus, & Magiſtri Petri de Hibernia ſtudiis, in naturalibus edocetur*. Ecquid quæſo vetat, puerum cucullatum licet, ac tonſum, e monte Caſino Neapolim ad altiora ſtudia miſsum eſse; ut & hic Monachus candidatus, ſub Monachorum pariter diſciplina, ſuſcepta Caſini ſtudia proſequeretur? Cum & illic Benedictini Ordinis Monaſteria tunc eſsent, ſancti ſcilicet Severini, & ſancti Demetii: quod ultimum juris tunc erat Cœnobii Caſinenſis, in regione Albina; etſi ſecutis inde temporibus, Clericis regularibus ceſserit Congregationis Somaſchæ: aliunde etiam veriſimilius ſit, Martinum illum, & Petrum Hibernum, quos Neapoli præceptores habuiſse dicitur Thomas junior, Benedictini Ordinis Monachos extitiſse; uti Conſtantinus

Ab-

Abbas Cajeranus, & Bucelinus in Martyrologio Benedictino contendunt. Immo de hoc ultimo liquet plane. Non alius quippe eſt ille *Petrus Hibernus*, quàm *Petrus de Donis* Patria Ultonienſis, quæ Hiberniæ regio eſt; quem ex Caſinenſis Abbatiæ tabulis conſtat, Monachum ſancti Severini tunc fuiſse. Nomen enim & patria conveniunt apprime.

Ridendique profecto, qui ambos idcirco Benedictinos nolunt, quod *Magiſtri* a Guillelmo de Thoco nuncupentur. Quaſi vero non eo etiam nomine tituloque cenſeantur, qui publice litteras in Academiis profitentur, cujuſvis tandem ſint Religioſi inſtituti, atque Monaſtici. Ridendi multo magis, qui Thomam ideo tunc temporis vitæ Monaſticæ candidatum negant; quod Neapolim *de parentum conſilio* ab Abbate ſit miſſus; quem ille, inquiunt, iis penitus inconſultis, pro poteſtate ac jure ſummo mittere potuiſſet. Quaſi vero non illa fuerint debitæ urbanitatis officia: aut non ita honeſti ratio poſtularet; ut de nobiliſſimo ephebo, inconſultis parentibus, nihil Abbas novi ſtatueret, magnique momenti, unde bona ejus inſtitutio penderet?

V. Quanquam nec facile conceſſerim ego, Thomam decennem, ut vulgo dicitur, e Monte Caſino Neapolim ad altiora ſtudia contendiſſe; ſed ætate aliquanto provectiorem, ac puberem, immo jam expreſſe, ſolenniterque

terque profeſſum. Cum ille in Monte Caſino, quò puerulus miſſus fuerat, *in logicalibus, & naturalibus diſciplinis optime profeciſſe* dicatur, apud Ptolomæum Lucenſem lib. 22. Hiſtoriarum cap. 20. Quis enim tantus in decenni puero profectus eſſe potuiſſet, quæ tanta philoſophicarum rerum peritia, ut pares ejus inſtitutioni procurandæ Magiſtros, ac Præceptores Caſini non haberet, aliôque quærere opus eſſet; quanquam illum angelica mente præditum dicas? Quare rebus mature perpenſis, Thomam non niſi circa annum vitæ quintum decimum, ac poſt emiſſam Profeſſionem, iter Neapolim contendiſſe, non dubitaverim: ut Monachus illic ſub Monachorum diſciplina ſtudiis incumberet. Tametſi factum illud iis verbis Scriptores veteres narrent, ut multo antea contigiſſe videri poſſet. At in re hiſtorica, antequam pedem figas, penſandæ ſunt factorum ſingulæ circumſtantiæ, num inter ſe congruant, beneque cohæreant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

D. Thomas pubertatem ingreſſus, D. Benedicti inſtitutum ſolenniter profitetur, annis circiter octo, antequam Prædicatorum Ordini nomen daret.

I. BRevi compendio confecta res eſſet, immò nulla alià probatione nobis eſſet opus, ut D. Thomam, quem quinquennem Deo ſub Monaſtica regula oblatum, dicatumque probavimus, adultum tandem, puberemque, ſolennem Monaſtici ſtatus profeſſionem emiſiſſe probaremus; ſi uno ille alterove prius ſæculo veniſſet in lucem. Cum enim oblati olim Deo pueri, a ſuſcepto ſemel Monaſticæ vitæ inſtituto reſilire numquam poſſent, ſed Parentum votum ratum habere, facti demum puberes tenerentur; nihil profecto dubii foret, quin id Thomas egiſſet pubes, quod agere ſummo jure debuiſſet. Verùm quia ineunte duntaxat ſæculo tertio decimo, anno ſcilicet 1220. in lucem prodiit, annoque ſubinde quinto, Deo a parentibus fuit oblatus: quo tempore Clemens Tertius retinendæ Monaſticæ profeſſionis debitum ſuſtulerat, pueroſque illos ſuo reliquerat arbitrio, ut puberes demum facti, oblationem a parentibus olim factam, ratam aſſenſu, aut diſſenſu irritam facerent: id re

ipſa

ipſa feciſſe Thomam oportet oſtendere, quod poterat ſummo jure non facere. Aliàs pro arbitrio fictum a nobis nemo non diceret. Hoc igitur opus, hic labor eſt: quod tamen multis, ne quis dubitet, evincimus argumentis.

Ac primo quidem ex juſta, ac pene dixerim neceſſaria præſumptione. Ut enim piiſſimum ſe ſe religioſiſſimumque a prima ætate in Monaſterio præbuerat Thomas impubes, id eum demum feciſſe puberem veriſimillimum eſt; ad quod eum ſin minus jus ſtrictum, at certe pietas, religio, cultuſque Deo debitus obligabant. Clemens autem hujus nominis Tertius obligationem duntaxat ſuſtulerat ſtricti Juris, & Fori, ut ita dicam, externi; ne (quod priſci ferebant Canones) oblati Deo, devotique a parentibus pueri, profiteri demum ſolenniter cogerentur: obligationem tamen ex religione ac pietate natam minime ſuſtulerat. Quid enim filium vere pium ac religioſum magis deceat, quàm conceptum de ſe parentum votum implere, non irritum facere? niſi grave obſit impedimentum, quod nullum in Thoma adoleſcente Sanctiſſimo, & aſceticæ vitæ candidato religioſiſſimo deprehendimus: quem potius ad id ex religioſa inſtitutione propenſiſſimum, egregieque factum habemus. Eum itaque, ex quo pubertatem ingreſſus eſt, Parentum votum impleviſſe, ſeque votis Mo-

naſticis

naſticis ſolenniter obſtrinxiſſe, juſtè pro ejus pietate, ac religione præſumitur.

Certè adhuc etiam poſt Clementis Tertii reſcriptum, (quo pueris Deo ſub Monaſtica Regula oblatis, atque devotis, emittendæ demum Profeſſionis obligatio ſublata fuerat, ſtricti juris) obligationem nihiloſecius manſiſſe ex decentia ut ajunt, ex pietate, ac Religione natam, docet ipſemet D. Thom. Quodlib. 4. art. 23. ubi de hac ipſa puerorum oblatione, ac traditione, ex Parentum Voto, ſuis adhuc temporibus frequentata ſermonem habens, teneri pueros docet, (utique ex pietate, atque decentia) factam illam de ſe ipſis oblationem, cum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habere; atque ita ſolenniter profiteri: illudque Gregorii II. Rom. Pont. Oraculum, in dicti ſui probationem affert, ſuoque accomodat inſtituto: *Si Pater vel Mater filium, filiamve, intra ſepta Monaſterii, in infantiæ annis, ſub Regulari tradiderint diſciplina; utrum liceat eis, poſtquam pubertatis impleverint annos, egredi, & Matrimonio copulari; hoc omninò devitamus: quia nefas eſt, ut oblatis a Parentibus Deo filiis, voluptatis frena laxentur*. Quid ni ergo Thomam Aquinatem, ab ipſa infantia piiſſimum Religioſiſſimumque, cùm jam quinquennis Deo fuiſſet oblatus, id demum feciſſe puberem exiſtimamus, quod ille ſin minus ſtricto jure, (hoc enim a Clemente III.

paulo

paulo ante ſublatum fuerat) at ſaltem ex pietate ac Religione faciundum exiſtimabat? Ad eum fermè modum, quo Vvamba Hiſpaniæ Rex, cum in morbo periculoſiſſimo alienatus a ſenſibus, Deo voti cauſa, ab Epiſcopis Regnique proceribus, in Monachum fuiſſet oblatus, ac tonſus; ſanitati poſtmodum reſtitutus, etſi alieno de ſe, ac pro ſe concepto voto, jure ſummo non eſſet obſtrictus; ex pietate tamen, ac Religione ſolvendum exiſtimavit: Regnoque in affinem translato, reliquum vitæ ſpatium, exegit in Monaſterio.

II. Créſcit in immenſum juſta præſumptio, ac pene in certam demonſtrationem abit: quod niſi Thomam, (quem a prima ætate Monachum tonſum, & cucullatum Parentum voto demonſtravimus) expreſſe demum ſolenniterque Profeſſum, ubi pubertatem attigit, fateamur; conſequens omnino ſit, eum abjecto cucullo ad ſæculum rediiſſe, ibique ad multos annos Religionis transfugam ſubſtitiſſe: quod de piiſſimo tunc, religioſiſſimoque adoleſcente opinari nefas eſt; ac ne ipſi quidem contra quos agimus, concedere audeant. Quandoquidem certo certius eſt, invictiſque probatur argumentis, Thomam non niſi poſt annos ab adepta pubertate circiter octo, Prædicatorum Ordini nomen dediſſe, dum annum vitæ ageret viceſimum tertium; quo toto temporis interſtitio, abje-

abjecto Monachali cucullo, in ſæculo (quod nemo dixerit) ſubſtitiſſet. Quod ut eſt hac in re capitale, ac decretorium; ſic palam evinco collata temporum, annorumque ratione.

In id enim Scriptores univerſi conſentiunt, D. Thomam ſurgenti Prædicatorum Ordini nomen dediſſe, ſedente in Petri Cathedra Innocentio hujus nominis Quarto, ad quem delatas Fratrum Prædicatorum querelas narrant; dum Religioſus adoleſcens, ſacra novi Ordinis veſte recèns indutus, per vim ab illius Germanis fratribus Raynaldo, ſeu Reginaldo, & Landulpho ereptus eſt, ad ſuburbium Aquæ-pendentis, cum Pariſios a Præpoſito Generali duceretur; & ad Comitiſſam illius Matrem, ſub arcta cuſtodia miſſus eſt, in carcere caſtri ſui detinendus, ac macerandus. Immo eas ad Innocentium IV. delatas Prædicatorum querimonias communiter narrant, dum Pontifex in Thuſcia degeret. Porro nemo neſcit Innocentium IV. in Petri ſedem evectum eſſe Anagniæ anno 1243. Die 24. Junii; nec niſi hoc ipſo cadente anno, aut certe ſequenti ineunte, in Thuſciam ſe contuliſſe, ad pacem cum Frederico Secundo Imperatore, ſi fieri quidem id poſſet, ineundam. Non itaque ante annum Æræ Chriſtianæ 1243. aut etiam 1244. Divi Thomæ in Prædicatorum Ordinem ingreſſus figi poteſt. Hoc primum ducendæ probationis principium eſto certiſſimum.

Jam quo ſit anno natus D. Thomas, etſi non conſentiant univerſi, illud tamen longe certius eſt, meliorumque Scriptorum ſuffragio comprobatum, anno 1220. natum eſſe. Liquet id in primis ex Leandro Alberto lib. 3. de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, in Vitis Beatorum Virorum Jacobi de Mevania, & Ambroſii Senenſis: ſi quæ illic ſcripta ſunt mutuo conferantur. Cum enim priori loco dixiſſet Albertus: *Jacobo de Mevania recens nato, puer quidam viſus eſt civitatem omnem percurrere, illud identidem proclamando, ad Scholas, ad Scholas. Rogatus ille quidnam hic ſermo ſibi vellet: nati ſunt, inquit, Præceptores, quos mundus quærat audire. Siquidem ſub iiſdem ferme diebus nati fuerunt, ſplendidum Eccleſiæ jubar D. Thomas Aquinas, Clariſſimus Vir Ambroſius Senenſis, & tertius hic Sanctiſſimus Jacobus, Prædicatorii Ordinis omnes.* Tum ſecundo loco ſic habet Albertus: *Natus eſt autem B. Ambroſius Senenſis anno* 1220. 16. *Kal. Maii.* Quare & hoc anno natus eſt D. Thomas.

Conſtat hoc idem ex Abrahamo Bſovio in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1264. n. 14. *Nocte ea, qua anno Domini* 1220. *ad* 16. *Aprilis, tum Ambroſius Senis, tum Aquini Thomas, ac Mevaniæ Jacobus in orbem editi ſunt, tres Lunæ in Cælo apparuere, ſingulæ ſingulos Viros veſte Prædicatoria amictos per imaginem repræſentantes.* Quanquam (ut id obiter

ter moneam) non Aquini natus Thomas a Bſovio dici debuit, ſed in Caſtro, cui nomen eſt *Rocca-ſicca* . Aquinum enim non Natalitii locus eſt, ſed Comitatus eſt titulus, quem Landulphus Thomæ Parens obtinebat.

Liquet demum id ex Vincentio Maria Fontana in Monumentis Dominicanis ad annum 1220. *Nocte ea, quæ ad diem decimam ſextam Aprilis hujus anni* 1220. *decurrit*, *orta ſunt præclariſſima Eccleſiæ Dei lumina*, *S. Thomas de Aquino*, *S. Ambroſius Sanſedonius*, *& B. Jacobus de Mevania*. Hoc alterum eſto peræque certum.

Ea itaque annorum ratione ducta, illud plane compertum eſt, D. Thomam non niſi anno vitæ vigeſimotertio Prædicatorum Ordinem adiiſſe. Tot enim ab anno 1220. ad annum 1243. numerantur. Atque adeo (quæ mea nunc theſis eſt) niſi eum anno vitæ ſuæ 14. aut 15. dum pubes cœpit eſſe, & emittendæ Profeſſionis capax, juxta illius ſæculi diſciplinam, Benedictinum inſtitutum, cui quinquennis addictus fuerat, ſolenniter Profeſſum ponamus; conſequens erit, illum abjecto cucullo ad ſæculum rediiſſe; ibidemque per annos circiter octo, Cœnobii deſertorem, Religioniſque transfugam ſubſtitiſſe; a quinto decimo circiter ad vigeſimumtertium: quod de Sanctiſſimo piiſſimoque Monaſticæ vitæ Candidato quis credat?

Equidem ſi cum primum emittendæ in

Ordine Benedictino religioſæ profeſſionis tempus attigit D. Thomas, ad Prædicatores, relictis Benedictinis, rectà tranſiiſſet; nihil eſſet quod illi vitio verti poſſet; ſeu quod conceptum a Parentibus votum irritaſſet, ſeu quod ad ſæculum rediiſſet: quia ut ſapienter Mabillonius obſervat, devotis illis Deo pueris, & Monaſticæ D. Benedicti regulæ addictis, liberum priſcis etiam temporibus ſemper fuit, ut ad ſtrictius inſtitutum convolarent: cum vel ſic *Parentum votum maneret integrum, eorumque oblatio non eſſet exinanita, ſed cumulata*. Qua ratione D. Bernardus Epiſt. 324. Thomam de S. Audomaro, a Benedictinis ad Claræveallenſes tranſire volentem, non eſſe prohibendum docet. At nihil eſſet, quo violatam a D. Thoma Aquinate Religionem, & pietatem excuſares; quem certo liquet, ſerius tardiuſque ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem convolaſſe, ac poſt annorum circiter octo interſtitium, quos totos duxiſſet in ſæculo. Stat ergo omni ex parte invictum argumentum ex Chronographia delibatum.

III. Neque vero hujus argumenti, ex annorum D. Thomæ collatione petiti, vim & robur infringet, qui contra adducta a nobis teſtimonia contenderit, Doctorem Angelicum, non anno, ut diximus 1220. ſed anno 1225. natum eſſe; atque ita non anno vitæ ſuæ 23. ſed 19. Prædicatorum Ordinem

adiiſſe.

adiiſſe. In idem enim aut certè paulo minus incommodum laberetur: Thomam ſcilicet relicto, cum primum pubes factus eſt, Benedictino cucullo, ad ſæculum rediiſſe, ibidemque ſin minus annos octo ut diximus, at certe annos totos quatuor, antequam ad Dominicanos accederet, Religionis transfugam ſubſtitiſſe. Stat itaque, quamcumque Chronologiam ſequi lubeat, quod inde petitur argumentum, ut Thomas anno vitæ 14. vel 15. Monaſticum Inſtitutum expreſſe profeſſus oſtendatur; cui quinquennis puer a Parentibus addictus fuerat.

Quo loco temperare mihi non poſſum, quin obiter ſaltem D. Antonini lapſum emendem: qui Tertia Parte Chronicorum Tit. 23. cap. 7. §. 2. Thomam impuberem fuiſſe ait, dum ad Prædicatores acceſſit, & a Germanis fratribus ſuis per iter comprehenſus eſt, & ad Matrem ſuam remiſſus: eaque ratione potuiſſe Parentes ejus eundem a Dominicanis repetere jure ſummo: quanquam eam D. Thomæ vim illatam agnoſcat ille, ſedente in Petri Sede Innocentio IV. Proh putidum, ſecumque pugnantem anachroniſmum! Scilicet anno 1243. quo Pontifex electus eſt Innocentius, impubes fuerit Thomas Aquinas, qui annos potius vitæ 23. numerabat? Immo ne quidem ſi Thomam anno duntaxat 1225. natum poneremus (quæ tardiſſima omnium eſt Epocha, a nonnullis temere poſi-

ta) impuberem illum , ſedente Innocentio IV. Pontifice, haberemus; ſed annos ſaltem undeviginti aſſecutum. Certe quàm eſſet tunc dum Prædicatorum Ordinem adiit, natu grandior, & ætate maturior, præterquamquod invicte jam demonſtravimus, ille magis, magiſque intelliget, qui Opuſculum legerit, *de fallaciis ad quoſdam Nobiles Artiſtas*, ab eo tunc primum, dum domeſtico carcere a Parentibus teneretur, elaboratum: (eſt nunc in editis 39.) profectò non puerilis Minervæ fætum, ſed plenę maturitatis partum agnoſcet. Aſt tenellum adhuc, & minorennem ad Prædicatores acceſſiſſe Thomam, plerique per ſummum errorem exiſtimant, quod illum ſtatim videant Alberti Magni diſcipulis adſcriptum, Coloniæ Agrippinæ; nec advertunt, Albertum Magnum, pro ſumma qua tunc valebat eruditionis, & doctrinæ fama, Viros etiam ætate, & doctrina maturos, Auditores habuiſſe, qui ſe illi libenter in diſciplinam traderent. Quod & in Florentiſſimis Academiis, Magiſtris, & Profeſſoribus cum Alberto Magno minime conferendis ſæpe contingit. Sed id obiter, ad D. Antonini lapſum emendandum; eo vel graviorem, quod Thomam, utpote minorennem adhuc, atque impuberem, jure ſummo a Parentibus repeti potuiſſe, ſit arbitratus. Nempe ſi ſic eſt, injuſtæ ergo fuere Prædicatorum ad Innocentium IV. delatæ querelæ; quas tamen ille

ratas

Digitized by Google

ratas omnino habuit, Thomamque idcirco Prædicatoribus adjudicavit.

IV. Age tamen, inquiet aliquis, ceſpitaverit eo in capite D. Antoninus, certoque ſit certius, Thomam nonniſi jam puberem Prædicatorum Ordinem adiiſſe: quis tamen nonniſi anno vitæ 23. adiiſſe dicat, uti profecto nos dicimus, niſi illud è vulgari ut vocant *legenda* velit expunctum, quod de Doctore Sanctiſſimo ſcriptum eſt, *vigintiquinque annos natus Magiſter eſt appellatus?* Tantum enim, ſi ſic eſt, a ſuſcepta Dominicana veſte, ſpatii illi non dabitur, ut exactis in domeſtico carcere totis quindecim menſibus, peractiſque ſubinde Coloniæ ſub Alberto Magno philoſophicis ſtudiis, tum Theologicis, Pariſiis anno ſtatim vitæ 25. Magiſter renunciari, & ſalutari potuerit.

Næ tu lepidus diſputator, qui vulgarem *legendam*, tanquam certum, in rebus etiam nullius pretii atque momenti, Hiſtoriæ Canonem nobis obtrudis? Quaſi vero ad eas minutias, critico examine diſcutiendas, majeſtatem, auctoritatemque ſuam demittat Eccleſia: cui profecto ſatis eſt, ut eas legi permittat, ſi nec fidei, nec bonis moribus adverſentur. Certe ſub falſo cubare pericopen illam, de adepto ſub annum vitæ 25. Magiſterio, adeo eſt manifeſtum, ut nihil magis. Thomam enim non ante annum 1256. Doctorem Pariſienſem renunciatum eſſe, liquet

aperte ex Brevi Pontificio Alexandri IV. hoc ipſo anno 1256. die tertia Menſis Maii conſignato, ad cujus commendationem Doctoralibus infulis, in ea Academiarum Principe, fuit inſignitus; cum Academiæ Cancellarius, Religioſis Mendicantibus minus æquus moras necteret. Ut ſileam, non deeſſe, qui ad aliud biennium retardatam Doctoris Angelici inaugurationem exiſtiment. Pene jam anno 1220. natum eſſe Doctorem Angelicum, quod ex melioribus Scriptoribus planum fecimus; non igitur ante annum vitæ trigeſimum ſextum, Doctor potuit renunciari. Immo ſi vel illum natum velis anno duntaxat 1225. (quæ,ut dixi, tardiſſima eſt omnium Epocha, a nonnullis temere poſita) non ante annum vitæ 31. Doctorem renunciatum habebis. Unde eſt ergo jactatum illud, *vigintiquinque annos natus Magiſter eſt appellatus?* At magnas nobis *legendarii* illi, de D. Thoma, ejuſque Magiſtro Alberto Magno fabulas narrant; ut Divorum illorum res, per ſe ſatis magnas, in majus augeant; ſtudio fortaſſe pio, ſed inconſulto. Quale profecto eſt illud alterum, quod pari fidentia narrant: Albertum Magnum tanto auditorum concurſu ſententiarum Libros expoſuiſſe Pariſiis, ut diſcipulos ſchola non caperet: coactumque idcirco fuiſſe, *in publica Platea docere, quæ ob id Magiſtri Alberti Platea etiam nunc hodie nuncupatur.* Qui tamen Pariſiis fuere, nullam in

Regia

Digitized by Google

Regia Urbe eo nomine Plateam agnoſcunt. Quæ vero *Mauberti Platea* dicitur (ad quam alluſiſſe arbitror Joannem Antonium Flaminium, a quo primùm fabula illa vulgata eſt) non ab Alberto Magno nomen accepit, ſed a *Mauberto* nobili olim Cive Pariſienſi, qui Plateam illam clientelari jure obtinebat. Sed ad graviora nunc momenta veniendum.

CAPUT V.

D. Thomas Dominicanis recens adjunctus, ut a novo inſtituto revocetur, Caſinenſis Monaſterii Abbas creatur ab Innocentio IV. Unde illum antea Benedictinum inſtitutum expreſſe profeſſum eſſe, certò colligitur.

I. REm narrant priſci ferme omnes vitæ D. Thomæ Scriptores, ſingularem plane, atque obſervatione digniſſimam: Germanos ſcilicet Thomæ fratres ſua ſpe turpiter decollatos, quod novitium Dominicani Ordinis candidatum, illata vi a ſuſcepto inſtituto revocare non poſſent, alia tentaſſe machinamenta, ut illum honoris ſpecie Ordini Prædicatorum eriperent. Caſinenſem ſcilicet Abbatiam eidem ab Innocentio IV. deferri poſtulaſſe; quam

& ille

Digitized by Google

& ille pro ſumma auctoritate re ipſa contulerit: tametſi collatam dignitatem piùs, & humilis adoleſcens recuſaverit.

Thomas Cantipratanus Brabantius a Patria dictus, Epiſcopus ſuffraganeus Cameracenſis, D. Thomæ ſub Alberto Magno condiſcipulus, lib. I. Exemplorum, qui *de apibus* dictus eſt, cap. 20. §. 10. *Nec diu*, inquit, *ſatan diſtulit inſidias adoleſcenti ſpargere. Inſtinctu enim fratrum ſuorum carnalium, & amicorum, quos habebant in curia, per litteras Apoſtolicas iterum mandatus eſt frater Thomas. Venienti autem mox a Papa præcipitur, ut regimen Abbatiæ Montis Caſini ſuſciperet; quæ utique maxima erat, in totius Apuliæ, & Campaniæ partibus prælatura .... Renuit ergo præclariſſimus adoleſcens, nec Ordinem vel Habitum ſuum deſerere ulla ratione conſenſit.*

Paulus Langius in Chronico Citizenſi ad annum 1263. *Fratres Thomæ ægre ferentes, illum mendicantium vitam profiteri, eum extrahere geſtientes, apud ſummum Pontificem egerunt, ut illi Abbatiam prænarrati Caſini Montis offerret: quod & Papa fecit. Quæ Prælatura eſt maxima in Apuliæ, & Campaniæ partibus, ut refert Thomas Brabantius ejuſdem Ordinis Prædicatorum in libro apum. Verum Thomas humilitatem cunctis dignitatibus præferens, ac ſtudio ſacrarum litterarum inſudans, dictam Prælaturam renuit.* Quamquam porro factum hoc narret Langius, ubi res geſtas exequi-

tur

tur anni 1263. anno tamen 1243. contigiſſe certum eſt.

Ptolomæus Lucenſis Epiſcopus Torcellanus libr. 22. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capit. 29. *Romam inde vadit Coloniam ad fratrem Albertum, ubi multo tempore fuit : & ibidem exiſtenti oblata fuit Abbatia Montis Caſini per Innocentium, gratia Parentum, qui jam erant expulſi de Regno : ſed recuſavit*. In nonnullis exemplaribus legitur *per Alexandrum*, at error eſt patentiſſimus. Alexander enim hujus nominis IV. qui ſolus illis temporibus ſedit; anno duntaxat 1254. electus eſt Pontifex ; quo tempore Thomæ parentes e vivis exceſſerant : Raynaldus, ſeu Reginaldus Germanus frater, a Frederico II. Imperatore morti dudum addictus : nihilque in Thomam ultra tentabatur, ut ex Ordine Prædicatorum abduceretur. Nec Coloniæ exiſtenti oblata eſt Abbatia, ſed antequam eò pergeret.

Leander Albertus libr. 3. de Viris illuſtribus, in Vita Alberti Magni, de D. Thoma obiter loquens: *Pariſium*, inquit, *miſſus eſt, unde opera fratrum, & amicorum ſuorum, qui retrahere illum ab incboata vita cupiebant, litteris Apoſtolicis in Italiam revocatus eſt, & Monaſterio Montis Caſini a Pontifice Magno præfectus eſt. Sed ille onus hujuſmodi detrectans, clam fugit ex Italia, & Coloniam ſe contulit, ubi factus eſt Magni Alberti auditor, donec Pariſium ille tranſmiſſus eſt*. Ita laudati Scriptores,

res, in facti quod narrant ſumma concordes; etſi in nonnullis adjunctis fortaſſe diſſentiant.

Eo nunc poſito facto, de quo, poſt tam diſertam, tamque conſtantem Scriptorum etiam coævorum teſtificationem, nemo prudens poſſit ambigere: quid ſibi vult inquio, eā D. Thomæ Prædicatoribus recenter adjuncti, in Abbatem Caſinenſem electio, ſi Benedictinus, & quidem expreſſe Profeſſus, re ipſa non erat? Qua audacia, qua fronte, eam Germani Thomæ fratres ab Innocentio Quarto fieri poſtulaverant; quos latere omnino non poterat, quàm diſtricte, quàm ſancte paucis ante annis Innocentius III., & Gregorius IX. vetuiſſent, ne Monachis præficerentur Abbates extranei, quique expreſse hoc ipſo in Ordine Profeſſi non eſſent? Aut ſi quis viros Caſtrenſes, quales erant Thomæ fratres, ea velit Pontificia decreta penitus ignoraſſe; aut ita perfrictæ frontis fuiſſe dicat, ut quod ſcirent recentiſſime vetitum, poſtularent; quis ita ſocordem, & inertem dixerit Innocentium, ut quæ certiſſime noverat proximorum Deceſſorum Statuta revellere vellet? Aperta quippe, planaque ſunt ea de re Innocentii III. & Gregorii IX. lata paulo ante decreta, quorum ſub Innocentio IV. obſervantia vigebat maxime.

Innocentius III. cap. *Cum ad noſtram*, de electione, & electi poteſtate: *Cum ad noſtram notitiam perveniſſet, quod, H.... qui ſe pro Abbate*

bate Lexovienſi gerebat, non fuit ante Monachus quàm electus: Nos attendentes, quod contra regulares traditiones illud fuerit attentatum: cum nullam ſpem, vel promiſſionem habens ut Abbas fiat, debeat Monachari; electionem de ipſo factam curavimus irritare. Et Gregorius IX. Cap. *cum in Magiſtrum*, ſub eodem titulo: *Cum in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec ſit præficiendus qui ſubeſſe non novit; Nos intellecto per te, quod in quibuſdam regularibus domibus, jure tibi Diœceſano ſubjectis, ſunt quidam in Abbates, non Profeſſi Ordinem Regularem, aſſumpti: mandamus quatenus, cum tales Abbates eſſe non debeant, qui per Profeſſionem Monachi, & Regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inveneris, ſublato appellationis impedimento, procedas.*

II. Erit fortaſſe qui dicat, Innocentium IV. ea conditione Thomam Aquinatem Abbatem Caſinenſibus præfeciſſe, ut qui profeſsus antea non erat, profiteretur in poſterum, dum Abbatiæ poſseſſionem adiret; eoque pacto ſarta tectaque manſiſse Innocentii III. & Gregorii IX. ſtatuta ſanctiſſima. Verum quis non videat, & hoc ipſum fuiſse antea ab Innocentio III. & Gregorio IX. apertiſſime vetitum: *ne quis ſpem vel promiſſionem habens, ut Abbas fiat, debeat Monachari...., & ne quis præficiatur, qui antea ſubeſſe non novit.* Immo quod mirere magis, & ad factum quod hic expen-

dimus

dimus propius accedit, illud etiam vetuerat Innocentius, ne quis nondum Profeſsus, ad emittendam Profeſſionem induceretur, ea mente, eoque conſilio, ut ſic ſaltem Monachus factus, in Abbatem aſsumi poſset; quanquam is omni prorſus ambitione vacuus, de futura ſui ipſius electione nil ſciret, & agitata Electorum conſilia penitus ignoraret. Ita quippe Innocentius III. Cap. *Officii*, laudato jam titulo *de electione, & electi poteſtate*, Cardinali cuidam Sedis Apoſtolicæ Legato reſpondens: *Nobis litteris tuis intimaſti, quod cum Monaſterium quoddam poſitum in medio Nationis perverſæ, Paſtore careret, Monachi de electione Abbatis tractantes, cum non poſſent ſui Ordinis idoneam invenire perſonam, in quendam Virum Nobilem oculos direxerunt, per quem poterant melius defenſari; & Patrem adierunt ipſius, humiliter poſtulantes, quod filium ſuum induceret, ut Habitum ſuſciperet Monachalem, nullam Patri de ipſius promotione fiduciam tribuentes: & Pater ad hoc induxit filium providum, & diſcretum, qui effectus Monachus, fuit in Abbatem electus: cujus electio extitit per Rectorem Meſſanenſem, Apoſtolicæ Sedis Legatnm, qui omnibus prædictis interfuit, confirmata. Cum autem idem ſit paratus purgare ſe, quod nulla fuit ad hoc ambitione inductus: poſtulas edoceri utrum dictus Legatus electionem confirmare, vel diſpenſare potuit, vel quod factum eſt ſtare poſſit: & utrum electione caſſata, iterum*

rum eligi valeat in Abbatem? Nos autem conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cum ex his quæ in continenti ſubſecuta ſunt oſtendatur, quod talis taliter non poſſit eligi in Abbatem; maxime pro eo quod antequam eſſet diſcipulus, voluit eſſe Magiſter, electionem illam irritam eſſe decrevimus, & inanem. Verum poſtquam fuerit in Regula competenter inſtructus, ſi urgens neceſſitas, & evidens utilitas ipſius Monaſterii poſtulaverit, purgatione recepta, poterit in Abbatem aſſumi, ne Monaſterium opprimatur incurſibus malignorum. Ita ſapienter omnino Innocentius III. ne videlicet recenter Profeſſi, utpote minus quàm par ſit *in regula inſtructi*, Monaſteriorum regimini præficerentur, omni licet ambitione vacui forent, beneque morati.

Quis itaque Thomam, ne Profeſſum quidem Monachum, celeberrimo Caſinenſium Monaſterio ab Innocentio IV. Abbatem præfectum, ſibi fingat animo? Nec ſatis Germanorum illius Fratrum precibus datum dicat, quod illum ætate admodum juvenili, poſt annos duntaxat a Profeſſione Monaſtica circiter octo, Caſinenſem Abbatem elegerit, conſtituerit? Immo quis non videat, totum id a prudentiſſimo Pontifice factum, ſeu potius tentatum, ut obortæ ex Nobiliſſimi Adoleſcentis ad Religioſos Mendicantes acceſſu, lites contentioneſque ſopirentur? Sic enim cuncta eo temperamento compoſita videbantur,

tur, ſi tamen ille dediſſet aſſenſum. Eripiebatur Mendicantibus Thomas, ſed dignitate auctus ampliſſima: dabatur Caſinenſibus Abbas, ſed Sodalis quondam ſuus, poſtliminio reverſus, & Monachis Monachus, idemque gratiſſimus: Nec enim repugnabat, quæ minor aliquibus videretur Thomæ ætas, cum nullam creandis Abbatibus ætatem definiverit in Regula Benedictus: Tritemiumque legamus, annos duntaxat natum 24. creatum Abbatem. Inclitæ demum Aquinatium Comitum familiæ ſuus reſtituebatur filius, ſed qualem illi ſemper optaverant, ſemper ambiverant: juxta memoratum piiſſimi Eremitæ vaticinium, de quo diximus cap. 3. *Tu, & vir tuus cogitabitis eum facere Monachum in Monaſterio Montis Caſini, in quo B. Benedictus quieſcit: habentes ſpem ad magnos ipſius Monaſterii reditus pervenire, per illius filii veſtri apicem, & Prælaturam.*

III. Falluntur igitur, & quidem longe maxime, qui Thomæ adoleſcenti Dominicanum inſtitutum ingreſſo, ſtructas a Parentibus, & Cognatis inſidias arbitrantur, illatamque vim maximam, ut illum a Religioſo ſtatu ad ſæculum revocarent. Non eſt ita profecto, non eſt ita: ſed ut illum a Mendicantium Fratrum inſtituto, quod ipſis adierat inſcientibus, ad Benedictinum, cui illum a prima pueritia addixerant, revocarent, ac poſtliminio redire compelleſent. *Ægre ferentes*, inquiunt

Scri-

Scriptores, *illum Mendicantium Vitam profiteri &c.* Hinc obſervamus, Parentem ejus Landulphum Comitem, auſteri ſupercilii Virum, cum illum e Caſtro Aquæ-pendentis ad ſe adductum, domeſtico carceri addixit, & Dominicanas, quas ille recèns induerat, veſtes in fruſta concidit, *Monachales induendas obtuliſſe:* quod laudatus ſupra Bartholomæus de Capua Regni Siciliæ Protonotarius, teſtis in proceſſu Canonizationis auditus, juramento teſtatus eſt. Unde facile intelligimus, id unum tunc tentaſſe Parentes ejus, ut illum ad Monaſticum Benedictinorum Ordinem, quem illis neſcientibus deſeruerat, redire compellerent. Quæ altera non levis eſt, ſuſcepti a nobis argumenti probatio, ne dixerim demonſtratio. Qua etenim libertate, quove jure, *Monachales veſtes* induendas obtuliſſet Parens, ſi eas nuſquam antea filius induiſſet? Urgebat enim ille dubio procul, ut reſumeret Thomas, quod ipſius ingratiis depoſuerat.

Unum dictis repugnare videretur: quod Thomam domeſtico carcere detentum, inducta a Parentibus Meretrice, ad illicita ſollicitatum legamus: quod illi utique non feciſſent, ſi Thomam Monaſtico inſtituto ſervatum, redditumque voluiſſent, non ſæculo deſtinaſſent. At ſi probatos Scriptores conſulimus, non hæc adoleſcenti caſtiſſimo Parentibus inſtigantibus injuria illata eſt; qui

vel ſi filium ſæculo deſtinaſſent, honeſtum ſaltem voluiſſent, ſuiſque natalibus dignum: ſed a Germanis fratribus, Caſtrenſibus Viris, quibus nulla fides pietaſque dicitur eſſe, iniqua machinatio ſtructa fuit. *Fratres*, inquit Leander Albertus Lib. 4. de Viris illuſtribus, *majorem animo dolorem conceperunt: veſtes quas ille induerat diſcerpſerunt, quo pudore adductus de ſententia diſcederet. At diſcerptas iterum induit. Nec eo ſcelere contenti, mulierem venuſtam quæ non nupta diu domum ſuam omnium cupiditati patefecerat, ac ſe palam in meretricia vita collocaverat, ad ipſum in cubiculum deduci jubent*. Ex quo illud etiam obſervare eſt, eam adoleſcenti caſtiſſimo injuriam illatam non eſſe, ſtatim atque domeſtico carceri addictus eſt, ſed multis poſt menſibus. (Totis 15. Menſibus in carcere detentus eſt D. Thomas) Tunc enim illic non aderant Raynaldus, & Landulphus Germani fratres, ſed in Thuſcia, ſub Frederici II. Imperatoris ſignis, tanquam obſides militabant. Nec dubitandum, quin attentatum facinus, ut didicit, improbaverit Theodora Comitiſſa Mater: quam etſi in filium, ob novum ſuis ingratiis ſuſceptum inſtitutum, ferocientem Scriptores exhibeant, honeſtiſſimam cæterâ Matronam agnoſcunt, atque commendant.

IV. Verùm & hic moras nobis iniicit Jacobus Echardus, quæritque ſollicite: quid ſi Thomas Profeſſus tunc Monachus erat, dum

ad

ad Prædicatores acceſſit; ſi illata primum illi vis eſt a Parentibus, ut ad Benedictinum inſtitutum unde diſceſſerat, revocaretur, non ut rediret ad ſæculum; ſi hæc illi demum, Germanis agentibus, ab Innocentio IV. collata eſt Abbatia, ut ſuis Caſinenſibus dignitate auctus ampliſſima reſtitueretur; quid, inquam, ſi ſic eſt, ſoli Thomæ Parentes atque Cognati id attentarunt, nihilque movere tunc Monachi, ſuaſque inclitæ domui operas minime contulere; ut Sodalem quondam ſuum, ad priſtinum inſtitutum revocari, tantumque ſydus cœlo ſuo reddi atque aſſeri procurarent? Cui id unum reponere juvat: Binas eaſque graviſſimas rationes interceſſiſſe, quominus Caſinenſes Thomam Sodalem quondam ſuum, aut ſiſterent abeuntem, aut poſtquam abjerat revocarent.

Primò quod Frederico II. Imperatori, ac Siciliæ Regi, qui Caſinum, omnibus ferme eiectis Monachis, in munitionem converterat, præ cæteris eſſet inviſus; utpote filius Comitis Aquinatis, quem Cæſar ob ſuſceptas Innocentii partes maxime oderat. Quare & Thomæ, & Caſino ſatius fore arbitrabantur Monachi, ſi in Gallias obſcuris ignotiſque tunc Prædicatoribus iunctus, extra Cæſaris ditionem abſcederet.

Secundò, quod frequens illa tunc eſſet Monachorum defectio, ad obortos recèns Prædicatorum, & Minorum Ordines; quorum

& vitæ aſperitate, & Sacrarum Litterarum ſtudio, & morum Sanctitate rapiebantur univerſi. Quare quominus piis conſiliis Monachorum, ad pauperes Fratres abire volentium, obviam irent Abbates, cæterique Præpoſiti, Religione tenebantur. Quin etiam ipſi perſæpe, pia illorum exempla ſecuti, ad nova illa Sodalitia ſacro zelo accenſi ſe transferebant. Quod de Alberto Stadenſi Abbate, de Stephano Abbate Aquitanico, de Franciſco Bineto Benedictinorum Turonenſium Priore, notiſſimum eſt. Ut alios ſileam minus mihi ex nomine notos, quos e Benedictina in Dominicanam familiam, primo illo inſtituti novi Ordinis ſæculo, *commigraſſe, multiſque fulſiſſe virtutibus*, narrat Umbertus de Romanis, Generalis Prædicatorum Magiſter; ſeu ut aliis placet, Gerardus de Fracheto, in Vitis Fratrum ſui Ordinis Part. 3. Cap 4. Quid quod integrum Benedictinorum Monaſterium S. Franciſci Regulam ſuſcepiſſe ſcribit Lucas Vvadingus, in Minorum Annalibus, ad Annum 1219. Num. 19. *Omneſque illius Monachos, mores & Habitum commutaſſe, renuntiatiſque ampliſſimis Poſſeſſionibus, Franciſcanos pauperes evaſiſſe.*

Tertiò quod nihil dubii eſſe poſſit, quin Thomas, ut erat tunc ætate iam grandior, & Religioſus, & pius, omnia ritè, & ex iuris formulis egerit, in ea Religioſi ſtatus mutatione; bonamque Abbatis veniam, ac

etiam,

etiam, ſi neceſſe tunc erat, Summi Pontifi-
cis facultatem obtinuerit; ut a Benedictinis
ad Dominicanos, non ſecus ac alii tam mul-
ti, poſſet accedere. Quibus ita peractis, quid
mirum, ſi nec eum Caſinenſes ſtiterint ab-
euntem, nec poſtquam abierat, revocare ten-
tarint; ſed id curæ Comitibus Aquinatibus,
qui aliis longè ducebantur, & ſtudiis, & af-
fectibus, omnino reliquerint?

CAPUT VI.

*Divum Thomam Benedictini inſtituti Profeſ-
ſorem, ad Dominicanum Prædicatorum
Ordinem tranſiiſſe, teſtantur Caſi-
nenſis Monaſterii Tabulæ.*

I. QUa fuerit Vitæ conditione D. Tho-
mas, quamdiu Caſini ſubſtitit,
quodve illic tenuerit inſtitutum,
nullo meliori documento diſcere liceat, quàm
ex clariſſimi Monaſterii Tabulis, ſi tamen illæ
ad nos uſque integræ perveniſſent. At quæ hac
ipſa ætate, furente in Religioſiſſimos Mona-
chos Frederico II. Imperatore, & Siciliæ Re-
ge, ſacro Cœnobio contigit expilatio, per-
turbatio, ac pene dixerim devaſtatio fecit,
ut pauca ad nos uſque monumenta pervene-
rint; unde lucis aliquid, ad factum quod hic
quæritur retegendum, poſſit emicare. Ecquid
aliud ultra ſperandum in rebus alta caligine

merſis, & forte non ſine induſtria occultatis? Age tamen, & ſi quis inde radius emicat, excipiamus.

Richardus a S. Germano Monachus ea ætate Caſinenſis, cujus Chronici fragmenta laudat ſæpe numero Odericus Raynaldus, in Annalibus Eccleſiaſticis ad Sæculum decimum tertium, ejectionem Monachorum ſuorum referens, dum Fredericus II. Imperator Monaſterium in munitionem convertit, paulo antequam Thomas Aquinas relicto Caſino, Prædicatorum Ordinem adiiſſe creditur; illud inter cætera notat maxime: Monachorum aliquos ſuis ſedibus ejectos ac diſturbatos Benedictinum cucullum exuiſſe. *Anno*, inquit, 1239. *Menſe Julii, tertia fit excluſio Monachorum de Monaſterio Caſinenſi, & in ipſo Monaſterio non niſi octo tantum Monachi, ad celebranda Divina Officia remanſerunt, quorum nomina ſunt hæc &c..... ejecti autem Cænobitæ, alii ad Monaſterium Vallis Lucis ſe receperunt, alii apud Conſanguineos, alii Habitum reliquerunt:* Non utique, facti Apoſtatæ; (abſit a Viris Religioſiſſimis tantum nefas, quod nec ſi forte fuiſſet, Richardus a S. Germano in ſui Ordinis dedecus prodidiſſet;) ſed ad alios Religioſos Ordines convolantes.

Quidni quæſo de D. Thoma Aquinate, tacito nomine locutum illic Richardum exiſtimemus, quem præ cæteris Caſino excluſum oportuit, dum ea Monachorum ejectio ex

Fre-

Digitized by Google

Frederici Imperaroris juſſu facta eſt, tanquam filium Comitis Aquinatis, quem Cæſar maxime oderat, quod contra ipſum Pontificis partes ſecutus fuiſſet?

II. Sed ſunt hæc, inquis, meræ conjecturæ ad arbitrium fictæ. Sint ita forte; ſi per ſe ſe abſolute ſpectentur: verùm ſi cum cæteris ejuſdem Monaſterii documentis, quæ ad nos uſque integra pervenere, mutuo conferantur, in rem omnino certam abit, quæ de prima facie mera creditur conjectura. Extat enimverò etiamnùm hodie, Caſini optimæ notæ documentum anni circiter 1380. unde Thomam a Ricardo ſubindicatum colligamus. Quippe quod Virum Sanctum ex Benedictino inſtituto ad Dominicanum tranſiiſſe (quod ad illa circiter tempora factum oportuit) diſertiſſime notat. Hujus nobis fidem locupletiſſimam facit D. Joannes Mabillonius, antiquæ memoriæ diligentiſſimus inveſtigator, cui tantum debet Litteraria Reſpublica, quantum vix alteri: In Muſæo Italico, quod Anno 1687. Publici juris fecit, Part. 1. Pag. 123. ubi de Veteri Martyrologio Caſinenſi, a ſe dum Caſini verſaretur, vetereſque chartas excuteret, inſpecto ac lecto, ſic habet: *Ex Martyrologio veteri diſcimus, Thomam Aquinatem Caſini Monachum fuiſſe, antequam ad Dominicanorum Religionem convolaret. Ita enim de eo Nonis Martii, ſecunda quidem manu, ſed ante Annos 300. adſcriptum legitur:*

Nonis Martii, apud Fossam-novam, Natalis S. Thomæ Confessoris Viri eruditissimi: qui oriundus de Aquino, primò Casinensis Monachus factus, postmodum in Ordine B. Dominici Prædicator effectus, sua multiplici, et fructuosa doctrina, illuminavit valde Ecclesiam Sanctam Dei.

Quis contra mutire, quis hiſcere audeat? Mabillonium enim, quo Candidiorem animam Sol non vidit, malæ fidei poſtulare, quaſi ad ſuorum gratiam, Martyrologium citando vitiarit, nemo vel plumbei cordis, vel ferrei oris attentarit: eundem ſupinitatis, & imperitiæ arguere, quod Codici manuſcripto veram temporis notam præfigere neſciverit; ne ipſa quidem audaciâ audacior Ariſtarchus aggrediatur; turpemque adeo notam affinxerit ſummo Viro, qui dignoſcendorum manuſcriptorum Codicum regulas cæteros docuit; in omnibus uti magnus, ita ea in arte longe maximus.

III. Reponet forte nonnemo: data Mabillonio integra fide, ſervatoque qui tanto debetur capiti, honore ſummo: Eam Caſinenſis Martyrologii pericopen, quæ *S. Thomam Caſinenſem Monachum primo factum, poſtmodum in Ordine B. Dominici Prædicatorem effectum* ait, ſecunda manu, fatente Mabillonio ſcriptam eſſe; atque adeo minus integram fidem facere.

Lepide vero! Ecquî quæſo prima Marty-

rologii

rologii manus id de D. Thoma ſcribere potuiſſet, quæ Thoma ipſo, tribus circiter ſæculis prior eſt, atque antiquior? Decimi enim ſæculi dicitur eſſe Martyrologii hujus autographum. Nobis tamen ſatis ſuperque eſt, quod trecentorum, & eo amplius Annorum fuerit, judice Mabillonio, ſecunda illa manus, dum Codicem Gaſini degens recognovit. Quod cum egerit ille Anno 1685. reliquum demum ſit, trecentorum, & quadraginta nunc Annorum eſſe, & eo amplius, pericopen illam, de D. Thoma Monacho Caſinenſi, ad Prædicatorum Ordinem tranſlato, & ad Annum ſupra 1380. eſſe referendam. Quæ profecto ætas ſatis Scriptori conciliat auctoritatis, ut in facto de quo nunc quæritur, fidem integram faciat: Cum eo in loco ſcripſerit ille, ubi ex Publicis Tabulis reſcire facile potuit, quæ fuerit Thomæ fortuna, Caſini dum degeret adoleſcens. Immo ſi eo in publicis precum Officiis Martyrologio utebatur Monaſterium Caſinenſe, quo ex tempore a Joanne XXII. Cœlitibus adſcriptus eſt D. Thomas, nil dubitandum, quin publicas ille Monaſterii Tabulas conſuluerit, ut eam de S. Thoma Confeſſore periodum adderet, non tàm privata auctoritate quàm publica: eaque tunc, non illius duntaxat, ſed totius Florentiſſimi Cœnobii ſententia fuerit, & veluti a Majoribus accepta traditio; Thomam Monachum, Caſino relicto, Prædica-

to-

torum Ordinem adiiſſe. Sed nolo ea de re, dequa nihil Mabillonius monuit, fidentius arioari; ne majorem quàm par ſit, auctoritatem manuſcripto conciliem.

IV. Privatorum Caſinenſis Ordinis Scriptorum ſuffragia, in argumenti probationem, advocare hoc loco nolim, qui Thomam Benedictini Ordinis Profeſſorem, ad Prædicatorum Ordinem convolaſſe ſcripſerunt, ac propugnarunt: quod ea non fuerint antiquitate temporis, & vetuſtate ſententiæ, quæ ſola poſſit auctoritatis pondus ſcriptis conciliare, fidemque integram Lectoribus facere: nec affectu vacui ſcripſerint, ſed ut novum ſydus cœlo ſuo aſſererent, opeſque domeſticas, tametſi non erat opus, novo theſauro addito, in majus augerent. Illud tamen ad eruditionem non omiſerim admonere, eam olim D. Conſtantino Abbati Cajetano, quem Dominicani nonnulli *Venerabilem antiquitatis ſcrutatorem appellant*, certam atque conſtantem ſtetiſſe ſententiam. Quippe qui, Libro de Religioſa S. Ignatii apud Benedictinos inſtitutione, in Epiſtola nuncupatoria ad Patres Societatis directa, poſtquam multa retulit, quæ plerique Religioſi Ordines ex Benedictino inſtituto mutuati ſunt, ita ſubjicit: *Omitto nunc cæremonias, rituſque Benedictinos, quos ſacer hic Ordo Prædicatorum mei amantiſſimus quotidie frequentare non ceſſat. Præterquamquod Angelicum illud Eccleſiæ lumen Thomas*

Aqui-

Aquinas, *Doctoribus Benedictinis non abs re adſcribendus venit*. Quod ille non eo ſenſu accipi voluit, quod primam a Benedictinis puer Thomas inſtitutionem, & educationem acceperit; ſed quod natu grandior, jamque litteris auctus, apud illos Monachus fuerit. Unde Thomam tum illic, tum alibi ſæpe *Doctorem Benedictinum appellat*: quod ob unam primæ ætatis inſtitutionem a Benedictinis acceptam, inepte dixiſſet. Verùm dum ſuis eo in opere nimium tribuit Conſtantinus, omniaque ad ſuos Benedictinos, quo jure, quavè injuria trahere nititur, ferulam meruit, amaraſque ipſe hiſtorias audire compulſus eſt.

Sed & D. Angelus de Nuce, cujus ſunt Notæ eruditiſſimæ ad Chronicon Caſinenſe, Archiepiſcopus Roſſanenſis, Thomam Aquinatem, Religioſa Profeſſione Monachum, e Benedictinis Caſinenſibus ad Dominicanos tranſiiſſe, in Academica Collatione Romæ defendit, in Aula Auguſtiſſimæ Chriſtinæ Svecorum Reginæ, quò eruditorum omnium natio convenire conſueverat. Quod cum monſtri pene inſtar ab adſtantibus exceptum eſſet, eorumque ſupercilia, menteſque admiratione ſuſpendiſſet; is ad redimendam dictorum fidem, diſſertationem, ſcripto conſignavit, cui titulum dedit: *D. Thomam Monachum fuiſſe Benedictinum oſtenditur*: Cujus exemplum ante annos triginta Romæ cum eſſem,

ab

ab Eminentiſſimo Cardinali de Noris mecum humaniſſime communicatum & vidi, & legi.

Quod hic ego non ea mente, eoque conſilio commemoro, ut quod hic probandum aſſumpſi, Archiepiſcopi Roſſanenſis ſuffragio atque auctoritate communiam. Cum nec illud ignorem, recenti Diſſertatori, quantumvis illuſtri, atque diſerto, tantum non eſſe auctoritatis & gratiæ, ut in priſcæ memoriæ facto Hiſtorico aſſerendo, comprobandoque, fidem apud æquos æſtimatores inveniat; quæ ſola antiquis debetur, atque Synchronis: ſed ut omnes intelligant, nulli patere calumniæ poſſe ſententiam illam, quam vir ſummus, in orbis theatro, & coram delibato Litteratorum omnium flore, nemine reprehendente, atque notante, voce primum, tum ſcripto defendit. Gravius erit quod ſequitur modò, Scriptoris D. Thomæ Synchroni, omnique partium affectu ſoluti teſtimonium.

CA-

CAPUT VII.

Idem Sacchetti Malaſpina, Scriptoris D. Thomæ coævi teſtimonio confirmatur. Adduntur ad cumulum nonnulla Monachatus indicia.

I. QUi ſeſe ultimo loco teſtis offert, Benedictini Monachatus Doctoris Angelici, adeo non eſt in ferendo teſtimonio diminutus, ut abundat potius, abeatque in extremum nulla ratione ferendum. Is eſt Sacchetus Malaſpina, Patritius Florentinus D. Thomæ Synchronus, qui paucis poſt ejus obitum annis, Auctuarium attexuit Hiſtoriæ Ricordani Malaſpina Patrui ſui, incipiens ab anno 1282. qui Patrui poſtremus fuiſſe creditur. Illi enim uſque adeo perſuaſum erat, Thomam Aquinatem Monaſticum Benedictinorum inſtitutum initio profeſſum eſſe, ac tum ad Prædicatores convolaſſe; ut cum Florentiæ degens, ex publica fama inaudiviſſet, Thomam Aquinatem ſummum illum Theologorum apicem, ſub vitæ finem ad Ciſtercienſe Foſſæ-novæ Monaſterium divertiſſe, illicque inter Monachorum brachia extremum clauſiſſe diem; externa illa rerum ſpecie deluſus exiſtimaverit, ad priſtinum inſtitutum morti proximum rediiſſe, reſumptoque cucullo Monachum obiiſſe. Nempe cum fama,

ut

ut loquitur Plinius, ſummam rerum, non rationem, & ordinem narret, non obſervavit Sacchettus, Thomam Lugdunum Galliarum, ad Concilium Generale, juſſu Gregorii X. iter agentem, ad Foſſam-novam, hoſpitii duntaxat cauſa divertiſſe; ibique morbo preſſum per dies aliquot jacentem ſubſtitiſſe, donec vehementius afflictatus inter Monachorum hoſpitum brachia, animam Deo redderet. Quare ſuo nimium genio indulgens, ut erat aliunde in Dominicanos, & Franciſcanos minus æquus, Doctorem Angelicum, Monachorum extrema illa vitæ periodo diverſorem, iteratò Monachum fecit; & quidem, quod rideas magis, conſcientiæ ſtimulis agitatum, quod Monaſticum quondam inſtitutum, ad Prædicatores convolans, deſeruiſſet. Audi Saccherum Malaſpina, in Prædicatores uti & in Franciſcanos pari fidentia declamantem, ac de nova illa, quam libere commentus eſt, D. Thomæ Metamorphoſi, patrio idiomate pronunciantem cap. 223. Auctuarii, ad annum 1286. ubi Caroli Primi Andegavenſis Siciliæ Regis res geſtas exequitur.

Dal detto Carlo rimaſe Carlo Secondo, Principe di Salerno, ed ebbe più figliuoli dalla ſua Donna, figliuola ereda del Rè d' Ungaria. Il primo ſuo figliuolo fu Carlo Martello, che poi fù Rè d'Ungaria: il ſecondo fu Lodovico che ſi fece Frate della povera vita, e mai entrò, avvegnachè l'abbiano appropriato a loro: ſiccome

i Frati Predicatori Tommaſo d'Aquino, il quale inanzi che foſſe Frate Predicatore, fu Monaco; e quando venne a morte, che infirmò in Camino, rimordendolo la conſcienza, ſi fece portare alla Badia, donde era prima ſtato Monaco; e Monaco morì: e i Monaci hanno il corpo ſuo.

Quod latine ſic reddas.

Carolo prædicto ſuperſtes fuit Carolus Secundus, Salerni Princeps. Is ex Hungariæ Regis filia, & hærede, quam uxorem habuit, complures ſuſtulit filios: quorum primus fuit Carolus Martellus, poſtea Rex Hungariæ: alter Ludovicus, qui Fratrum pauperum, ſeu Minorum inſtituto ſe devovit: eorum tamen clauſtra nunquam ingreſſus eſt, quamvis illum iidem ſibi vindicent: quemadmodum & Prædicatores Thomam Aquinatem, qui antequam ad Prædicatores tranſiret Monachus fuerat, & ad extremum, cum in itinere morbo premeretur, religione tactus in Cœnobium, ubi prius Monachus extiterat, portari ſe voluit, ibique Monachus mortuus eſt. Ejuſque corpus obtinent Monachi. Hæc ille: Monaſterium Foſſæ-novæ, ad quod morti proximus aſportatus eſt D. Thomas, Cœnobium vocans, *ubi prius Monachus extiterat*: hoc eſt, Cœnobium illius Ordinis, & inſtituti, ubi prius Caſini Monachus fuerat. Ciſtercienſes enim, quorum erat Foſſæ-novæ Cœnobium, Benedictini cenſebantur, quod Reformationis titulo, a B. Roberto Moliſmenſi

Ab-

Abbate Benedictino anno 1098. inſtituti eſſent, & D. Benedicti Regulam profiterentur.

Non extat quidem diſertiſſimum illud Sacchetti fragmentum in exemplaribus cuſis, quæ Florentiæ primum anno 1568. prodiere: a quibus prudentum editionis Curatorum ſtudio, uti & alia nonnulla, Carmelitanis minus æqua, expuncta ſunt. Extat nihilominus in pervetuſto Codice manuſcripto, olim apud Petrum Junium Ugolini filium, Patritium Florentinum aſſervato, ex quo caput integrum 223. anno 1596. tranſcriptum eſt, & publici Tabellionis fide recognitum; quod penes ſe cuſtodiri teſtatur Illuſtriſſimus Præſul Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſſanenſis, in Opuſculo ea de re adornato: adeo ut ſuppoſitionis argui omnino non poſſit.

II. Porro non eſt hic animus Sacchetti ſupinam aberrationem, de reſumpto ab D. Thoma morti proximo, ex conſcientiæ ſtimulo, Monachali cucullo refellere, falſique convincere. Adeo enim inſulſa, ineptaque eſt, ut nulla magis. Quis etenim ſibi fingat animo, Virum ſanctiſſimum, apicemque Theologorum, cum primùm a Benedictinis ad Prædicatores accederet, non omnia rite feciſſe, atque ex juris formulis; nec conſcientiæ tunc ſuæ, obtento ſi neceſſe foret indulto Pontificio, conſuluiſſe: ut continuis per annos ſupra triginta, ob mutatum religioſæ vitæ inſtitu-

ſtitutum ; ſtimulis fuerit agitatus, quos non niſi morti proximus exemiſſet? Aut quis putet, Monachos Foſſæ-novæ, ſi illorum demum cucullum Thomas morti proximus induiſſet, Monachuſque denuo factus, inter Monachos obiiſſet, non illud demum ad cauſæ defenſionem adducturos fuiſſe, dum illis coram Urbano V. de reſtituendo Doctoris Angelici corpore, lis a Dominicanis intenta eſt? Qua enim meliori via, ſacrum corpus ſibi jure debitum oſtendiſſent, quàm ſi palam feciſſent, Virum Dei, reſumpto demum cucullo, Monachum apud Monachos obiiſſe? Ad populum itaque phaleras illas.

Verùm quod mei inſtituti eſt, & officii, id ex hac ipſa Sacchetti ſupina aberratione unice colligo: Rem fuiſſe tunc temporis compertiſſimam, certoque conſtantem, Thomam primùm Monaſticum inſtitutum Profeſſum eſſe, antequam ad Dominicanos accederet: cum vel ex hoc uno fingendæ fabellæ occaſionem Sacchettus arripere potuerit. Quomodo enim Scriptor cæterâ non indiligens, Doctorem Angelicum, ob relictum olim Monaſticum inſtitutum, conſcientiæ ſtimulis agitatum commentus eſset, ſi Monaſticum inſtitutum nunquam deſeruiſſet? aut quomodo deſeruiſſet, ſi nunquam re ipſa Profeſsus eſset?

III. Erit fortaſse qui dicat, Sacchettum utrumque pari libertate fingere potuiſse: & Thomam initio Monachum fuiſse, & tum

tandem in extrema vitæ periodo ad Monachos rediiſſe. Verùm id non dicet, niſi qui Sacchettum mortalium imprudentiſſimum ſimul, & impudentiſſimum finxerit; qualem profecto ſe ipſe ſcribendo non præbet, quamquam obortis tunc Religioſis Ordinibus minus æquus extiterit. Ut enim Thomam, quem factum Monachum certo noverat, ad priſtinum tandem inſtitutum rediiſſe crederet, ſcriberetque; extrema, ut dixi, quadam rerum ſpecie deludi potuit; quod ſcilicet illum morti proximum ad Monachos acceſſiſſe, atque in illorum ſinu obiiſſe inaudiviſſet; nec ſatis tunc diſtincte noſcet, id ne caſu tantum, & recipiendi hoſpitii neceſſitate, factum eſſet; quod nullum in vicinia Dominicani Ordinis Cœnobium eſſet: ac de Viro nondum ſolenni Eccleſiæ judicio cœlitibus adſcripto, tunc temporis ſcribens, aliquid humani de illo ſuſpicari facile potuit, unde conſcientiæ ſtimulis ageretur. Verùm Thomam factum Monachum, niſi re ipſa ſic eſſet, aut ita publica fama ferretur, non niſi imprudentiſſime, impudentiſſimeque fingere potuit; cum nulla eum, ut id fingeret, externa rerum ſpecies deluſiſſet: ſed de induſtria, & data opera, fabulam ad ſtruendam calumniam venditaſſet. Quod de viro honeſto, & Scriptore non ignobili, qualis profecto Sacchettus erat, nemo facile ſibi perſuadeat. Stat ergo fide integra Sacchetti, quod primam partem attinet, teſtimonium:
quod

quod partem ſpectat alteram, non tametſi nutet modo, ſed ad fabulas totum Æſopum olentes debeat amandari.

IV. Cætera quid perſequar ab externis indiciis petita momenta, quæ licet ſe ſola nil probent, iis tamen quæ probata ſunt adjuncta, atque intexta, acceſſionem juris aliquam faciunt: Viriſque nares non prorſus obæſas habentibus, veſtigia veluti patefaciunt, ut latentem veritatem e longinquo ſubodorentur, atque perſentiant. Et quidem ego iis me maxime externis indiciis excitatum olim profiteor, ut Benedictinum D. Thomæ Monachatum, de induſtria forte a nonnullis occultatum inquirerem, vetereſque chartas volvendo retegerem.

Movit me primum, quòd Pariſiis olim, in majori Conventu D. Jacobi, ubi maximam vitæ partem D. Thomas exegit, a pleriſque Magiſtris, & antiqui moris Viris acceperim, ex priſca Majorum traditione haberi, communiterque teneri, Doctorem Angelicum, ſub alba Dominicanorum veſte, Benedictinum Schema, ſeu Scapulare nigrum geſtare ſolitum fuiſſe. Quod idem a Viro doctiſſimo, eodemque eximiæ probitatis Magiſtro Julio Mercoro, apud Mediolanum Fidei Quæſitore, accepiſſe profitetur laudatus hic ſæpe Vir ſummus Angelus de Nuce, Archiepiſcopus Roſſanenſis. Cumque id a Doctore Angelico factum, ex pietate cultuque in Divum Bene-

Digitized by Google

dictum, interpretarentur univerſi; cogitare tum primùm cœpi, unde hæc Doctori Sanctiſſimo, ſatis jam Dominicanis lanis onuſto, enata pietas eſſet: numve ad geſtatæ olim Benedictinæ veſtis, factæque apud Caſinenſes Religioſæ Profeſſionis memoriam, commodius referretur. Ut qua pietate, ſervandam illi Dominicani Ordinis veſtem conceſſerat Innocentius IV. ſi Monachis Caſinenſibus Abbas præeſſe vellet: (ut ſcribit Thomas Cantipratanus Libr. 1. de Apibus. Cap. 20.) pari quoque Religione Vir Sanctus, Dominicanis ſuis adhærens atque convivens, Benedictinam, quam olim Caſini induerat, veſtem retineret, ſubtuſque deferret.

Illud me quoque non mediocriter movit, quod pleniſſimam rerum Benedictinarum cognitionem in Doctore Angelico deprehenderim: ſingularem in Benedictinis ritibus, regulis, inſtitutis, moribus explicandis diligentiam, qualem ne in explicandis quidem Dominicanis invenias: Flagrantiſſimum denique ſtudium, quo Benedictina quæque, cęteris ferme neglectis, non nata modo, ſed & quæſita de induſtria occaſione, ita nervoſe, acriterque defendit, ut orare pro Domo ſua Cicero videatur; ac ſi forte Dominicana pertractat, a Benedictinis exempla petit, probationes, & argumenta. Quæ ſane diſputandi ratio, Theologum mihi ſapere videbatur, rerum Benedictinarum uſu peritum,

Digitized by Google

ac multa experientia doctum; quas non tàm diſſerat ut alienas, quàm curet uti domeſticas. Num ea me perſuaſio atque exiſtimatio fefellerit, quæ ſubinde quæſivi, atque inveni Monaſticæ Profeſſionis apud Caſinenſes emiſſæ, momenta, probationes, teſtimonia palam faciunt.

CAPUT VIII.

Una quæ ſupereſt in oppoſitum difficultas eliditur, ex Scriptorum Dominicanorum ſilentio petita, Breviarii Romani auctoritas eliditur, explicatur.

I. PRobato nunc multiſque momentis aſſerto Doctoris Angelici Monachatu, antequam Prædicatorum Ordini nomen daret; dilutiſque inter probandum, quæ identidem occurrerunt, peculiaribus objectionibus; una ſupereſt, quæ totam controverſiam involvit, difficultas ſuperanda. Quænam illa? Dicam libere: Altum veterum Dominicanorum Scriptorum, de D. Thomæ Monachatu ſilentium. Quanquam enim nonnulla illi de Thoma puero, & adoleſcente ſcriptitarint, quæ oblique quidem, & cum aliis collata documentis, Monachatum invicte probent, eundemque ex legitima conſecutione colligendum intelligenti Lectori relinquant: nuſpiam tamen Thomam Aquina-

tem ætate prima Monachum aperte dixerunt, aut illum a Monachis Caſinenſibus ad Dominicanos tranſitum feciſſe, verbis conceptiſſimis retulerunt. Quæ res, ut ingenue fatear, memet non ſemel in admirationem adduxit.

Quid inde tamen, ſi res penitius perpendatur, ad facti aliunde probati atque convicti veritatem labefactandam? Cum nihil in Hiſtorica concertatione roboris habeat abnutivum argumentum, ex quorumdam Scriptorum ſilentio petitum, ubi ſemel factum de quo quæritur, affirmanti momento aſſertum, probatumque eſt? Uti plane in judicio forenſi, plus valet unius teſtimonium, in aſſertione poſitum, quàm vel milleni teſtes, qui nihil affirment. Qui ergo de D. Thomæ Monachatu ſiluere priſci Scriptores Dominicani, non idcirco negarunt, aut commentitium eſſe ſuo illo ſilentio docuerunt: ſed ut ſilerent, certis, ut credere par eſt, rationibus ducti ſunt; quæ uti erant illorum temporum propriæ, ita a nobis vix retegi poſſunt. Dicam tamen quid veriſimilius in eo ſilentio ſuſpicati ſint aliqui, quid ſuſpicer ego.

II. Fuere nonnulli, qui priſcos Dominicani Ordinis Scriptores, de D. Thomæ Monachatu ſiluiſſe ſuſpicati ſint, ne quam tanto Viro inconſtantis animi labem affricare viderentur, ſi primum Religioſæ Vitæ inſtitutum immutaſſe, & a Benedictinis ad Dominicanos tranſiiſſe divulgarent; eo vel maxime,

xime, quod ille ipſe diſertiſſime doceat 2. 2. quæſt. 189. art. 8. *Laudabile non eſſe tranſire de Religione ad Religionem: tum quia ex hoc plerumque ſcandalizantur illi qui relinquuntur, tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione quam conſuevit, cæteris paribus. Unde in Collationibus Patrum Abbas Neſteros dicit, unicuique utile eſſe, ut ſecundum propoſitnm quod elegit, ſummo ſtudio ac diligentia ad operis arrepti perfectiouem pervenire feſtinet, & nequaquam a ſua, qnam elegit ſemel, Profeſſione diſcedat*. Quod ſuum ipſe documentum non videtur obſervaſſe Doctor Angelicus, dum a prima quam elegerat Monaſtica Profeſſione diſceſſit, & ad Dominicanos convolavit,

Verùm falſa prorſus eſt illa, vanaque ſuſpicio. Nec enim ſpecioſa hujuſmodi ratio Dominicanis Scriptoribus, aliiſque tam multis impedimento fuit, quominus mutatum a Sanctiſſimo Parente ſuo Dominico, & a Divo Antonio Patavino, Religioſæ Vitæ inſtitutum, aperte, diſtincteque referrent: nec veriti profecto ſunt, ne Sanctiſſimis Viris inconſtantis animi notam inurerent, ſi Canonicos primùm *Regulares*, ut vocant, tum pauperes Mendicantes extitiſſe publice teſtarentur: cum probe intelligerent, mutationem in melius factam, inconſtantis non eſſe hominis, ſed prudentis, & Religioſi. Nec ſemper laude caret, ut fingitur, ea Religioſi ſtatus immutatio, tranſituſque ex uno ad alte-

 rum

rum inſtituto, ipſo quoque judice Doctore Angelico; ſed magna quandoque in laude ponitur, altioriſque virtutis eſt argumentum. Non enim loco jam appellato generatim & universe docet, *non eſſe laudabile tranſire de Religione ad Religionem*; ſed reſtricte duntaxat; nempe *niſi propter magnam utilitatem*, *vel neceſſitatem* tranſitus fiat; quæ nonnullis quandoque contingunt. Quin etiam e veſtigio ſubjungit: *Poteſt tamen aliquis laudabiliter de una Religione tranſire ad aliam, triplici ex cauſa; Primò quidem zelo perfectioris Religionis .... ſecundò propter declinationem Religionis a debita perfectione .... tertiò proptor infirmitatem vel debilitatem*. Hanc itaque affectati ſilentii rationem, in Dominicanis Scriptoribus, a nonnullis excogitatam, nec agnoſco ego, nec probo. Tantumque abeſt ut ſuum ipſe documentum violaverit Doctor Angelicus, dum relictis Benedictinis, ad Dominicanos acceſſet, ut potius religioſè ſervarit.

III. Quandoquidem autem meris hac in re ſuſpicionibus datur locus, tantique ſilentii ratio divinanda potius relinquitur, quàm probanda; ſuſpicor ego fortaſſe non imprudenter, de D. Thomæ Monachatu ſiluiſſe priſcos illos Dominicani Ordinis Scriptores, pro ſua ut par erat, in Monaſticum inſtitutum veneratione, obſervantia, pietate. Cum enim tranſitum illum ex una ad alteram Religionem, tunc tantum laudabilem doceat Doctor

ctor Angelicus, (ubi ex infirmitate vel debilitate non ſit) dum *ab imperfectiori Religione ad perfectiorem acceditur*, aut certe dum *a debita perfectione Religio quæ relinquitur declinavit, dum nimirum in ea Religioſi incipiunt licentius vivere*: quid aliud amabo fuiſſet, palam aperteque vulgare, D. Thomam a Benedictinis ad Dominicanos laudabiliter tranſiiſſe; quàm Benedictinum inſtitutum Dominicano imperfectius dictitare; ejuſdemque a debita perfectione defectionem, inductamque vivendi licentiam propalare? quod ut erat invidiæ plenum, minuſque in Dominicanorum ore ad modeſtiam compoſitum; nec niſi ægris auribus fuiſſet exceptum; maluerunt religioſi Scriptores, ac minime mali, eam D. Thomæ tranſitionem præterire; prudentique ſilentio ſuam in ſpectatiſſimos Monachos venerationem, cultumque teſtari. Ne tamen prudens illud, religioſumque ſilentium veritati fraudi eſſet, nonnulla identidem de Thoma puero, & adoleſcente retulerunt, quæ ſi a perſpicaci diligentique Lectore recte penſentur, & cum aliis illius ævi documentis debite conferantur; Thomam a prima ætate Monachum factum, ad Dominicanos ſubinde convolaſſe, plus ſatis evincunt.

IV. Pari moderatione Dominicanos uſos video, in enarranda extrema ægritudine, qua ſublatus eſt D. Thomas. Nempe quod in acerbo illo caſu, gravius fuit, quod moleſtius,

ſtius, quod iniquius, ſilentio prætermiſere: ne qua forte veneni Doctori ſanctiſſimo propinati oneraretur invidiâ Siciliæ Rex, qui ſummo præ cæteris cultu verendus erat. Non defuere ſiquidem extra Prædicatorum Ordinem Viri ſummi, qui veneno ſublatum Doctorem Angelicum ſcripſerint, hujuſque criminis Carolum Primum Siciliæ Regem inſimularint. *Cum Carolus Viri Sancti, quem Regni ſui rerum inſtructiſſimum eſſe ſciebat, gravem auctoritatem vereretur; ne in Lugdunenſi Concilio durum aliquod negotium ſibi faceſſeret; nefandiſſimum hunc ſuis rebus conſulendi modum* (veneni ſcilicet potionem) *aggreſſum illum exiſtimarunt:* Uti legere eſt in ejus Vita ex pluribus Scriptoribus collecta, quæ Romanæ illius Operum editioni præfixa eſt anno 1570. Hoc idem paulo aliter retulit Joannes Villanius Florentinus Lib. 9. Hiſtoriarum, quas vertente ſæculo decimo quarto Italice ſcripſit, cap. 218. ubi decretam refert ætate ſua Doctoris Sanctiſſimi apotheoſim. *Hoc anno 1323. ſub finem Menſis Julii, Avenione a Joanne Vigeſimo ſecundo, ipſique adhærentibus Cardinalibus, faſtis adſcriptus eſt Frater Thomas de Aquino Ordinis S. Dominici, in ſacra Theologia & Philoſophia Magiſter, Vir omni doctrinæ genere Excellentiſſimus; qui poſt D. Auguſtinum Scripturam Sacram cæteris omnibus ſublimius expoſuit. Vixit ille temporibus Caroli I. Siciliæ Regis. Cumque ad aulam Pontificiam, Concilium-*

liumque Lugduni celebrandum pergeret, dicti Regis Medicus eum veneno Salgamis ſaccharo conditis admixto, ut dicitur, enecavit; rem Carolo Regi gratiſſimam facturus: propterea quod Thomas ex Comitibus Aquinatibus, qui in ipſum rebellaverant, ſanguinem duceret; metuſque eſſet, ne ob eximia eruditionis, & virtutum merita, Cardinalis crearetur. Quare ſummo Eccleſiæ Catholicæ damno perpetratum eſt facinus. Obiit ille in Abbatia Foſſæ-novæ, dnm illuc iter ageus divertiſſet. Verùm & hæc omnia, ut erant invidiæ plena, alto ſilentio prætermittenda judicarunt, priſci illi Dominicani Ordinis Scriptores; nec niſi de acutis dixere ſtomachi doloribus, quibus in extrema illa vitæ periodo agitatus eſt Vir Angelicus; de frequenti ac pene continua vomitione. de nauſea, cibique cujuſque faſtidio: datique in cibo veneni effectus eſſe ſiluerunt. Ut hinc noverint univerſi, quanta Viris illis minime malis cura fuerir, ea omnia ſilentio involvendi, quæ alienam quoquo pacto invidiam concitare poſſe viderentur. Idque forte in cauſa fuiſſe, cur de D. Thomæ Monachatu Benedictino ſiluerint; aut certe de illo non niſi per ambages, & in ænigmate locuti ſint; ne Caſinenſes offenderentur, quos Doctor Angelicus, ut ad Dominicanos accederet, reliquiſſet.

Nihil eſt tamen ad præſens, cur & nos ſilentium de hoc ipſo Monachatu teneamus,

& ab

Digitized by Google

& ab ea ventilanda controverſia temperemus; in qua nullus jam eſt, aut eſſe poteſt invidiæ locus. Cum enim D. Thomam Aquinatem, Monachum antea Benedictinum, quàm Dominicanum tandem agnoverint Benedictini Ordinis Profeſſores, eruditione, & auctoritate præcipui, de quibus diximus Cap. 6. eundemque, Benedictino inſtituto relicto, ad Dominicanum tranſiiſſe, & voce, & ſcripto defenderint: citra invidiam id a nobis probari, omnique aſſeveratione confirmari patientur, quod ipſimet ante nos & ſcripſerunt, & propugnarunt.

V. Sed nec erit in tota Republica Litteraria Cenſor uſque adeo moroſus, & Cavillator, qui nobis vitio vertat, nimiæque audaciæ tribuat, quod primam Doctoris Angelici ætatem, peracta initio ſtudia, novumque ſuſceptum Religioſæ Vitæ Inſtitutum, longe aliter narraverimus, quàm ejus in Breviario Romano deſcripta ferat Hiſtoria. Ecquis enim neſciat, narratas in eo ſtatarum precum Codice, Divorum Hiſtorias, ab Eccleſia duntaxat probari, quod nihil Fidei, Religioni, pietati contrarium referant, nihil ſacris morum Regulis adverſum, nihil abſonum complectantur: non quod certa, conſtanti, atque indubitata auctoritate valeant, in factis Divorum quibuslibet percenſendis? Immo licere per Eccleſiam eruditis Viris, ſemperque licuiſſe, nonnulla Divorum geſta, in Roma-

no

no licet Breviario enarrata, ad criſim exigere, ad ſeverioris Criticæ leges expendere, ac etiam aperte negare, falſique convincere? Quod Viri ſumme pii, ac Religioſi, Eccleſia indulgente, ac permittente, & fecere olim, & faciunt etiamnum hodie: qui contra diſertam Sacerdotalis Breviarii teſtificationem, Jacobi Majoris (exempli cauſa) in Hiſpanias Apoſtolatum, fundatamque illic ab eo Chriſtianam Religionem, ac Templa etiam erecta, Cardinali Baronio prælucente, inficiantur apertiſſime. D. Bartholomæi ſacras Reliquias, Benevento ab Othone Tertio Imperatore Romam translatas, Cardinali Urſino vade, ac præſtite, diffitentur. Petrum Apoſtolorum Principem annos viginti quinque in Romana ſediſſe Cathedra, ejuſdemque ferrea Vincula, quibus Jeroſolymis primùm, tum Romæ conſtrictus fuerat, ſub Theodoſio juniore, & Eudoxia ſimul collata, in unum derepente coaluiſſe, conſtantiſſime negant. Lucam Evangelii ſcriptorem Picturæ Artem calluiſſe, Sacroſque Chriſti Servatoris, Matriſque Virginis vultus, penicillo reddidiſſe, omnino negant. Magdalenam peccatricem, Marthæ, & Lazari ſororem nequaquam agnoſcunt, ſed alteram longe diverſam pudicam ſemper, & caſtam. Sacræ hujus Familiæ in Provinciam appulſum; Dionyſii Areopagitæ, in Gallias miſſionem, Epiſcopatum Pariſiis geſtum, editoſque ab il-

lo

lo Libros de Cœleſti, & Eccleſiaſtica Hierarchia, de Divinis Nominibus, & de Myſtica Theologia, in fabulis habent. Marcellini Romani Pontificis idololatriam, celebratamque ea occaſione Sinueſſanam Synodum, Templa Sæculo ſecundo, ac etiam primo Divis erecta, aperte rejiciunt. Baptizatum Romæ a Sylveſtro Romano Pontifice Conſtantinum Imperatorem, ac lepra mundatum; Scriptum ab Athanaſio Fidei Symbolum; ſepultam in Monte Syna ab Angelis Catharinam Virginem Alexandrinam; eamdemque cum Philoſophis publica diſputatione coram Maximino congreſſam; Clementem Romanum Pontificem trans Mare Ponticum ad Urbem Cherſonæ, in exilium actum; ejuſdemque ſepulturam Maris receſſus prodigio detectam, ac celebratam; Euſtachium adverſæ fortunæ caſibus agitatum; prodigiale undecim millium Urſulæ Sodalium Virginum agmen; aliaque id genus longe multa, quorum iliadem texere facile fuerit, Breviarii Romani auctoritate poſthabita, fictas arte fabulas dicunt; eoque titulo Scriptis eruditiſſimis ex formula probatis, ſummoque plauſo exceptis, nonnullis etiam Romæ cuſis, & publicatis refellunt data opera, oppugnant, falſi convincunt.

Hæc ſi ſummis licuere Viris, licentque etiamnum hodie, quin idcirco nimia peccare audacia cenſeantur; quis mihi jure ſuc-

cen-

cenſeat, quod Breviarii Romani auctoritate poſthabita, facta nonnulla minoris longe pretii, ac momenti, quæque Fidem, Religionem, ac Mores nulla prorſus ratione contingunt, ad ſeverioris Criticæ leges exegerim; ut Thomam Aquinatem antea Benedictinum, quàm Dominicanum oſtenderem? Ne & illo Benedictina Religio, cæterarum omnium Caput, & Princeps careat ornamento, quòd illuſtrare, & exornare poſſet univerſas.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

Abbates extranei Benedictinis Monachis non præficiendi, Pagina 44
Abbatibus creandis ætas nulla definita, in regula D. Benedicti. 48
Abbates permulti ad Mendicantium Ordines initio convolarunt. 52
Albertus Magnus Pariſiis in publica platea non docuit, quę nomen ejus ad hanc uſque diem tenuerit. 40
Alexander (Natalis) refellitur, ac ſecum pugnans oſtenditur. 22
Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſſanenſis, Monachatus D. Thomæ defenſor, ac propugnator. 59
D. *Antoninus* laudatur. 17
Idem emendatur, & impugnatur: 37
D. *Antonius* Patavinus antea Canonicus Regularis, quàm Minorita. 71
D. *Athanaſius* num Symbolum ſcripſerit dubium eſt. 78

B

Baronius (Cardinalis) laudatur. Præf.
D. *Bartholomæi* oſſa num Benevento Romam tranſlata. 77
Bartholomæus de Capua teſtis in proceſſu Canonizationis D. Thomæ, de illius Monachatu fidem facit. 19
Beda in pueritia oblatus Deo, dicatuſque ſub regula Divi Benedicti. 8
Benedictinorum Ordo alienis non eget ornamentis. Præf.
Sub *Benedictinorum* diſciplina educatus D. Thomas Neapoli. 26
Benedictinarum rerum cognitio quanta in D. Thoma. 68
Breviarii Romani qualis, quantaque in rebus Hiſtoricis

auctoritas ſit. 76
Idemque quo ſenſu ab Eccleſia probetur. 76
Bzovius (Abraham) laudatur, & emendatur. 34

C

Carolus I. Siciliæ Rex, veneni D. Thomæ propinati inſimulatus. 74
Caſtpenſe Monaſterium in munitionem converſum a Frederico II. Imper. 51
Catharina Virgo & Martyr num ab Angelis ſepulta in monte Syna. 78
Ejuſdem cum Philoſophis congreſſus incertus, & dubius. 78
Ciſtercienſes Monachi Benedictini, ex reformatione Roberti Molismenſis. 63
Clemens I. R. P. num actus in exilium trans mare Ponticum. 78
Num ejus ſepultura recedentis maris prodigio retecta ſit. 78
Clemens III. R.P. emittendæ profeſſionis debitum oblatis Deo pueris ſuſtulit. 30
Conſtantinus Imper. an Romæ baptizatus a S. Sylveſtro. 78
Conſtantinus Abbas, Monachatus D. Thomæ defenſor, & propugnator. 58
Conventus Aquisgranenſis de pueris Deo oblatis judicium. 13

D

Dionyſius Areopagita num in Gallias venerit, & Pariſiis Epiſcopatum geſſerit, dubium. 77
Ejus nomine vulgati libri perinde dubii. 78
D. Dominicus antea Canonicus Regularis, quàm Prædicatorum Ordinis inſtitutor. 5. 71
Dominicani Scriptores cur de D. Thomæ Monachatu ſiluerint. 72
Quàm cauti in factis odioſis referendis. 73
Dominicani Ordinis gloria nihil læſa, ſed aucta potius, ex D. Thomæ Monachatu. Præf.

Ecbar-

Digitized by Google

E

Echardus (Jacobus) Bibliothecæ Dominicanæ auctor refellitur. 26
Elfleda Oſuvi Anglorum Regis filia annicula Deo oblata atque dicata, ſub regula D. Benedicti. 7
Euſtachius num adverſæ fortunæ caſibus jactatus, incertum. 78

F

Fontana (Vincentius M.) laudatur. 85
Formula oblationis puerorum ſub regula D. Benedicti. 9
Fredericus II. Imp. Aquinatium Comitum familiæ præ ceteris infenſus. 51. 55
Idem Reginaldum D. Thomæ fratrem morti addicit. 43
Idem Monachos Caſinenſes e Monaſterio eiicit. 51

G

Geraldus Ademari, & Garſindis filius, Deo certis conditionibus dicatus, ſub regula D. Benedicti. 8
Gerardus de Fracheto germanus auctor libri de Vitis fratrum. 52
Godefridus quinquennis Deo a Parentibus oblatus, atque dicatus. 3
Gregorii II. R.P. reſcriptum de pueris Deo oblatis. 11
Guido Guillelmi filius oblatus Deo ſæculo decimo tertio. 24
Guillelmus de Thoco laudatur. 16
Guillelmus a Sancto Amore a D. Thoma confutatus. 25

H

Hildebrandus, qui & Gregorius VII. puer ſeptennis Deo oblatus atque dicatus, ſub regula D. Benedicti. 3

Digitized by Google

Hugo Menardus oblatos Deo pueros ad profitendum adſtrictos docet. 15

I

Jacobus Major Joannis frater, num in Hiſpaniis Apoſtolatum geſſerit. 77

Jacobus de Mevania, & *Jacobus* Salomonius eadem die in lucem editi, ac D. Thomas. 34

Innocentius IV. R.P. Caſinenſi Monaſterio Abbatem præficit D. Thomam. 41

Idem ſervandam illi Dominicanam veſtem indulget, etiam in ordine Benedictino. 68

Joannes VVillanius veneni D.Thomæ propinati Carolum I. Siciliæ Regem inſimulat. 74

Iſidorus Hiſpalenſis ſtabilitatem puerorum oblatorum teſtatur. 14

Julius Mercorus Inquiſitor Mediolanenſis laudatur. 67

L

Lanfrancus oblationis puerorum ritum deſcribit. 8

Langii Chronicon laudatur, & emendatur. 42

Leander Albertus laudatur. 43

Libri Dialogorum D. Gregorio R.P. affictі. 17

Lucas Evangelii ſcriptor, an pictor. 77

M

Mabillonius (Joannes) laudatur, & commendatur. 13. 55

Idem explicatur. 23

Magdalena peccatrix, num Lazari ſoror, & Marthæ. 77

Sacræ hujus familiæ in Provinciam appulſus quàm dubius. 77

Magiſtri D. Thomæ Neapoli, non alii quàm Benedictini. 26

Marcellini R.P. idololatria penitus commentitia. 78

Martyrologium Caſinenſe D. Thomam Benedictinum agnoſcit, antequam Prædicatorem. 55

Mar-

Digitized by Google

Martenius (Edmundus) oblatos Deo pueros Monachatui adſtrictos docet, ac probat. 14
D. *Maurus* duodennis oblatus Deo, ſub regula D. Benedicti. 3
Monachus ad profeſſionem non recipiendus, in ſpem Abbatiæ obtinendæ. 45
Monachos alios Paterna devotio facit, alios religioſa profeſſio. 12
Monachati pueri cur dicti. 20
Monaſteria Benedictina quandoque in Mendicantium Cœnobia converſa. 52
Monaſtarium Caſinenſe in munitionem converſum a Frederico II. Imp. 51

N

N*Oriſius* (Henricus Card.) laudatur. 69

O

O*Blatio* puerorum quandoque per internuncios a parentibus facta. 19
Opuſculum de fallaciis, quandonam editum a D. Thoma. 38
Othlonus quinquennis oblatus Deo, dicatusque, ſub regula D. Benedicti. 3

P

P*Etrus* Apoſtolus quot annis Romæ ſederit, dubium. 77
Ejuſdem vincula ferrea num in unum coaluerint ſub Eudoxia. 77
Petrus Damiani quid de Scholis Caſinenſibus, ætate ſua. 19
Petrus Hybernus D. Thomæ Magiſter, non alius quàm Petrus de Donis Benedictinus. 27
Placidus ſeptennis oblatus Deo, ſub D. Benedicti diſciplina. 3

Præ-

Prædicatorum Ordo ex D. Thomæ Monachatu illuſtratur verius, quam deprimitur. Præf.
Pueri impuberes quinam Deo ſacrati, atque devoti, ſub regula D. Benedicti. 5
Iidem ad regulæ obſervantiam adſtricti, ad ſæculum redire non poterant. 10
Iiſdem tamen liberum erat adſtrictius inſtitutum convolare. 36
Ptolomæus Lucenſis laudatur. 17

R

Reginaldus D. Thomæ germanus frater à Frederico II. Imp. morti addictus. 43
Religio. Quandonam laudabile ſit de una religione ad aliam tranſire. 71
Richardus a S. Germano Chronici Caſinenſis auctor laudatur. 54
Ritus oblationis puerorum deſcribitur. 9
Ritus ille ſæculo decimo tertio, ac ipſis D. Thomæ temporibus, ſervari adhuc ſolitus. 24
Robertus D. Bernardi nepos, Deo licet oblatus impubes, cur a profitendi obligatione ſolutus. 14

S

Sachettus Malaſpina in teſtem profertur Monachatus Divi Thomæ. 61
Idem altera teſtimonii ſui parte exorbitat, abitque in exceſſum. 64
Altera veritatem habet, atque ita defenditur. 64
Scapulare Benedictinum a D. Thoma ad mortem uſque ſub Dominicana veſte geſtatum. 67
Scholæ puerorum in monte Caſino, non niſi oblatorum permittebantur. 10
Sinueſſana Synodus in cauſa Marcellini R.P. celebrata, penitus commmentitia. 78

D. Tho-

Digitized by Google

T

D. *Thomas* Aquinas Monachus Caſinenſis antequam Dominicanus. Per totum.
Idem anno 1220 natus. 34
Quid de illius ætate prima communiter teneatur. 1
Quid contra tenendum, ſentiendumque. 2
Illius gloria major, quod primùm Monachus fuerit. 5
Vitæ illius diſtincta Chronographia. 5
Anno ætatis quinto, Deo a Parentibus oblatus, & in Monachum conſecratus. 16
Quo anno, quove conſilio a Parentibus ſit oblatus. 21
Profeſſus jam Monachus, Neapolim ad altiora ſtudia mittitur. 27
Solenniter profitetur in Monaſterio Caſinenſi. 30
Parentum de ſe conceptum votum, ſin minus ſtricto jure at certe ex decentia, & pietate exſolvit. 30
Ætate provectior in Ordinem Prædicatorum ingreditur, ſub Innoc. IV. 37
Meretrix ad eum carcere detentum immittitur a fratribus non a Parentibus 45
Inſidiæ illi ſtructæ, non ut rediret ad ſæculum, ſed ad Benedictinum, quod reliquerat, inſtitutum. 48
Cur abeuntem non ſtiterint Benedictini, nec poſtquam abierat revocare tentarint. 51
Ab Innoc. IV. creatus Abbas Caſinenſis, ad fratrum preces. 41
Annos natus triginta ſex Doctor Pariſienſis renunciatur. 39
Veneno ſublatus moritur in Monaſterio Foſſæ-novæ. 74
Thomas Cantipratanus Thomæ Aquinatis condiſcipulus laudatur. 42
Thomas de S. Andomaro a Benedictinis ad Claravallenſes tranſire volens, minime prohibendus. 36
Tritemius factus Abbas anno ætatis ſuæ vigeſimo quarto. 48
Toletani Concilii decretum de pueris Deo oblatis atque dicatis, ſub regula Monachali.

Vati-

V

Vaticinium de D. Thoma gravidæ Matri denunciatum. 31
Umbertus de Romanis ſuppoſitus auctor libri de Vitis fratrum laudatur, & emendatur. 52
Urſulæ ſociarum numerus undecim millium, quàm dubius, & incertus. 78
Vuamba Hiſpaniæ Rex conceptum Epiſcoporum, Regnique procerum votum exolvit, non jure ſummo, ſed ex pietate, ac religione. 32
Vuormatienſis Concilii decretum, de pueris Deo oblatis, atque dicatis, ut nunquam poſſint ad ſæculum redire, ſed profiteri teneantur ſolenniter, dum puberes fuerint. 12

FINIS.

ERRATA.

Pag. 4.	l. 8.	diſclipina	*lege* diſciplina
7.	l. 27.	ſiliæ	filiæ
9.	l. 14.	perire	exire
13.	l. 8.	obſervantæ	obſervantiæ
14.	l. 27.	Martenins	Martenius
15.	l. 18.	auctoritis	auctoritatis
15.	l. 20.	intelligitiſſimus	intelligentiſſimus
17.	l. 19.	exigiſſe	exegiſſe
24.	l. 24.	prægave	prægrave
38.	l. 19.	erudictionis	eruditionis
40.	l. 9.	pene	pone
41.	l. 4.	tabula	fabula
43.	l. 5.	Romam	Roma
43.	l. 27.	Magno	Maximo
66.	l. 10.	extrema	externa
67.	l. 1.	*pone* tametſi *ante* quod	

Digitized by Google

005658608

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google